



Za. 200<sup>e</sup>

LIV. #  
IOAN. GVIL. DE GOEBEL, ICTI  
SERENISS. DVC. BRVNSV. LVNEB. A CONSILIIS AVLAE ET  
IVSTITIAE, CVRIAEC PROVINC. GVELFERBYTANAEC ASSESSORIS  
IVRIVM IN ACADEMIAE IVLIA PROF. ORDIN. ET  
FACVLT. IVRID. IBIDEM SENIORIS

DE  
**IVRE VENANDI  
DIATRIBA**

MVLTIS IN PRAESENTI AB IPSO  
ACCESSIONIBVS AVCTA

---

PRAEMISSA EST  
DISQVISITIO PROOEMIALIS  
DE

**POENIS IN FERARVM FVRES**  
ET VNIVERSI APPARATVS VENATORII  
PER VETERVM GERMANORVM  
LEGES STATVTIS  
AVCTORE  
**HENRICO GOTTLIEB FRANCKE**



---

FRANCOE. ET LIPSIÆ  
IMPENSIS IO. GOTTFRIED STRENGI  
ANN. CICICCI CCXLII.

12-

IOAN. GALT. DE GEDELL. ICt.  
SHEINISSE DAC HIRNNA LUNDE A CONVALLIA AVAxE ET  
LADITIUS CAPITIA PROVINCIAE GAUDIUM HIRNNAE AVAxE  
TANEA IN ACADAMIA HIRNNAE AVAxE  
MAGIST. IARMI. HIRNNA SIRVITIS

# IARRE VENANDI DIATRIBA

MATIS IN HIRNNAE AVAxE 1520  
ACCESSTORIS AVAxE

DISCIPULIO. RODOLPHIUS

## PONENS IN DIATRIBA THERES

ET VENANDI ALBARIUS HIRNNAE AVAxE

PER VENANDUM DISCIPULUM

LEON. CICERO AVAxE

HELIOD. GOTTLIEB HIRNNE



IMPERIIS IO. GOTTLIEB HIRNNE  
ANN. CICICOCPIE

TRANSGOL ET LIPSIAC

DISSERTATIO PROOEMIALIS  
DE  
**POENIS IN FERARVM  
F V R E S**  
ET VNIVERSI APPARATVS  
VENATORII PER VETERVM GERMANORVM  
LEGES STATVTIS  
AVCTORE  
HENR. GOTTL. FRANCKE.



DISSERTATIO PROOLEMATICA  
de  
LORIS IN HISTORIAM  
HABENS  
ET UNIVERSALIS HISTORIAS  
VERNATORIA PER ALTEMUS ONTAMONORUM  
LITERAS STATATIS  
AVOTATIS  
HENR. GOTTF. LITANCKE.



## SYNOPSIS.

- I. *Instituti ratio.*
- II. *Vocabulis, Vet. Germ. certus statutus terminus.*
- III. *Generalia quaedam, circa furti crimen, apud priscos Germ. notata.*
- IV. *Praesentis Dissertationis particio.*
- V. *De Furtis animalium ferarum, ex Lege Salica.*
- VI. *De iisdem furris, secundum reliquas Vet. Germ. Leges.*
- VII. *De Furis quadrupedum ferarum.*
- VIII. *De Furtis apparatus venatorii, & in primis canum venaticorum.*
- IX. *Iudicia capitalia Vet. Germ. generatim exposita.*
- X. *Eorum indoles, circa crimen furti, in primis de denuntiatione*
- XI. *De Accusatione & iudicis, circa illam, officio.*
- XII. *De Furis comprehensione, inquisitione per torturam.*
- XIII. *Conclusio opusculi.*

### § I.

**S**imilatque praesentis limatissimae, de *Iure venandi*, Dissertationis PERILLVSTRIS & EXCELLENTISSIMVS AVCTOR, pro singulari suo & indefesso in promouendis litteris studio, eam multis ab ipso accessionibus, eruditionem profecto haud vulgarem spandranti-

A

rantibus, auctam iterum publici iuris facere, simulque, ex speciali quidem erga nos fauore, permisit, prooemii veluti loco, quaedam praemittendi; prima nobis cura fuit, quo argumentum feligeremus, quod, licet illam non ornare, aliquam tamen B. L. afferre valeat utilitatem. Constitutum itaque ab initio erat, *Scriptorum, de Iure vendandi*, suppeditare notitiam, (a) cumque in finem quoque, quod publice grato profitemur animo, a supra laudato PERILLVSTRI & EXCELLENTISSIMO AVCTORE egregia iamiam acceperamus subsidia. Postquam autem nobis copiosissimam illam librorum notitiam inspicendi datum fuit, quam sub *Bibliothecae Venatoria-Forstalis ac grutiae* titulo, pro exactissima sua diligentia, collegit, *Clarissimus Bibliothecae Saxonicae Auctor, M. GEORG. CHRISTOPH. KREYSIG*, Fautor ac amicus noster e paucis certissimus, deprehendimus, nostrum adparatum, cum illius collectione nullo prorsus modo posse comparari. Mutilo ergo ac manco quasi labore, licet ad finem paene perduto B. L. onerare religioni omnino nobis duximus, in primis cum spes facta nobis fuerit certissima, breui, modo memoratam *Bibliothecam Venatoria-Forstalem* in lucem prodituram. Et hanc etiam mutandi propositi nostri caussam, iudicabit

bit, vt speramus, vnuisque grauissimam. Aliud igitur quum quaerendum esset argumentum, post longam tandem inuestigationem, succurrit, quaedam, *de poenis apud Veteres Germanos, in ferarum fures & vniuersi apparatus venatorii, statutis, in medium proferendi.* Quae quidem etsi non eo, quo decebat, studio, sint composita; nec omni tamen caritura vtilitate, nec prorsus fore iniucunda, confidimus, praecipue quum PERILLVSTRI & EXCELLENTISSIMO AVCTORI placuerit, & ad hoc argumentum eo magis ornandum, quaedam nobiscum communicare, haud spernenda.

(a) Vel tribus tantum verbis, de biga libellorum, ab iis, qui Scriptores, de iure venandi, recensere solent, vt plurimum omissorum, quaedam hic notasse, forsan iuuabit. Primus est Franc. ZAONETTI I. U. D. Equir. aurati, & Sacrari. Imp. Ferdin. I. Consil. in Celeb. Ingolstad. Gymnasio, Ordin. Legum Profess. primarii. De duplice Venatione, cum Generali sum & Germanica, liber auctior accurriorne, cui peruetus & elegans quaestio, de partu ancillae, est praemissa, ad L. in pecudum fractu ff. de Vsur. ad Maximil. II. Roman. regem inuitum, quae, cum Eiusd. de Romano Imperio Libro, & primatu prioris geniti Regum Magnorumque Principum Romani orbis, prodiit, Ingolstad. 1563. 4. Absoluitur autem modo citatus, de Iure venandi, liber in specie 9. plag. & VII. momentis, veluti 1) de partu ancillae, 2) de venatione in genere, 3) de venatione clericorum 4) de venatione Germanica, 5) de Officio Caesaris, in auferanda popularibus venatione, & vasallis concedenda, 6) de damnis, quae a feris bestiis inferuntur popularibus, per vasallos, principes aut nobiles restituendis, 7) de poenis, quibus capientes con-

*tra probationem feras, haud dubie sint afficiendi.* Primus, quantum quidem nobis constat, in Germania fuit, modo ad ductus ZAONETVS, qui, de hoc argumento, scripsit. Qua etiam de causa labore suum deprehendere licet, non nisi ex textibus Iuris Romani, incongrue huc tractis, & glossatorum opinionibus compilatum. Insertus est deinde Abasv. FRITSCHII *Corpori Iuris Venatorio-Forestali, Part I.* p. 139. & 490. seq. Alter est Petr. Angeli BARGÆI, de Aucupio Liber I. ad Franc. Medicem, Florent. & Senens. Principem, qui prodit simul cum Eiusd. Elegia, de Radagasi & Getarum caede, ad urbem Florentiam, ad Cosmum Medicem, Florent. & Senens. Duceum. Florentiae apud Iuntas 1546. 4 mai. 7. pl. Praeter modo ad ductum primum, de Aucupio, librum, qui elegantissimo carmine constat, nullus praeterea in lucem proditus videtur. Et iste paucis quoque visus, rarissime solet occurrere. Elegia autem, de celeberrima illa Radagasi & Getarum, ad Florentiam, caede, multa sane continet notatu quam maxime digna.

§. II.

Ne autem in nostro quoque argumento explicando, ea exoriatur confusio, quam plerique committere solent antiquitatum Germanicarum Scriptores, dum alii, *Veterum Germanorum* vocabulis vtentes, arctiorem temporum, alii contra multo laxiorem quasi limitem, fundamenti loco, ponunt, nec iustum accuratumque terminum, si ita dicere fas est, a quo & ad quem, certo figunt, alii rursus sub legum elogio consuetudines tam vniuersales Germaniae quam particulares, diuersissimi etiam aeui, comprehendunt; ante omnia nobis ratio videtur reddenda,

da, & quas hic maiorum nostrorum intelligamus leges, & quam veteribus nostris Germanis statuamus temporum veluti periodum. Illa ergo hic nobis in censum veniunt maiorum nostrorum placita, quae Saeculis, ut conjectura maxime probabili augurari licet, IV. V. & VI. in scripturam relata, ac, post SICHARDVM, (a) HEROLDVM (b) LINDENBROGIVM, (c) EC CARDVM, (d) aliosque, (e) anno huius saeculi XXXIX, sub *Corporis Iuris Germanici* titulo, iterum publici iuris fecit *Halae*, consilio ILLVSTR HEINECCI, Conf. PETR. GEORGISCH, in Quart. mai. quo quidem labore, Editor insignem sane Iuri Germanico, quod nunc demum in deliciis esse coepit, attulit utilitatem.

(a) *Iob. SICARDVS Leges saltem Ripuariorum, Baiuariorum & Alamannorum congesisse dicitur, Basl. 1530. in 8. conf. STRVV. Hist. Iur. c. VI. ss. 2. seq. p. 412. sequ.*

(b) *Basl. Job. HEROLDI opus prodiit sub titulo: Originum ac Germanicarum antiquitatum libri, leges videlicet Salicae, Alamannorum, Saxonum, Angliorum, Thuringorum, Francorum, Ripuariae, Baiuariorum, Westphalarum, Wernorum, Frisorum, Longobardorum, Teutonum, Basl 1557 fol.*

(c) *Frid. LINDENBROGI volumen extat sub titulo: Codex legum antiquarum, in quo continentur, leges Wisigothorum, Edictum Theodorici regis, lex Burgundionum, lex Salica, lex Alamannorum, Decretum Tassilonis ducis, lex Ripuariorum, lex Saxonum, Angliorum & Wernorum, Frisorum, Longobardorum, constitutiones Siculae sue Neapolitanæ, Capitularia*

*zularia Caroli M. & Hludouici Imp. una cum Glossario, Fran-*  
*cov. 1613 fol. v. STRVV. l. c.*

(d) *Ioh. Georg ECCARDI labor inscribitur: Leges Fran-*  
*corum Salicae & Ripuariorum, cum additionibus Regum &*  
*Impp. variis &c. &c. Franc. & Lips. 1720. fol.*

(e) *Quos citat. Conf. GEOGISCHE, in Praefat. ad Corpus*  
*suum Iuris Germanici.*

### §. III.

Et abunde satis profecto declarant, saepius memoratae maiorum nostrorum leges, nullam paene delicti speciem, furto, apud illos fuisse frequentiorem, & posset quis egregium Iurisprudentiae antiquae criminalis dare specimen, si, & quae generatim de eo, in illis legibus occurunt notatu digna, & omnes eius species, ac procedendi tandem, in veritate illius investiganda, modum, ideo inibi praescriptum, vellet persequi. Nos, ob angustos propositi nostri terminos, pauca tantum notabimus, generatim huc spectantia, veluti, furto oblatum ab ingenuo nouies, a seruo sexies compensandum, vel ab vtroque centum flagella fuisse suscipienda, aut, si ingenuus satisfacere non potuerit, & dominus pro seruo noluerit componere, (a) vterque laeso in seruitutem fuisse traditum, v. *LL. Wisigoth. Libr. VII. Tit. II. c. 13. 14.* Alia autem quam insuper esset conditio ingenui, alia serui, alia propria auctoritate,

ritate, alia, alterius instinctu, furtum committentis; intuitu vtriusque, nimiam illam casuum, de eiusmodi furtis, generatim comissis, & in saepius laudatis legibus, ideo occurentium, dispositorum multitudinem ac varietatem, consulto praetermittimus, ne extra oleas vagari videamur.

(a) Semel notasse sufficiat, componere in scriptoribus medi aeui, & his antiquorum populorum legibus, idem significare, ac multam a legibus statutam, hæso, in damni dati compensationem, vel iniuriae, propter delictum, inflictæ satisfactionem, & vocabulum *compositio*, ipsam hanc notare mulctam, cuius iam *Tacitus* mentionem facit, de *M. G. c. 12. Pars*, inquietens, *multæ regi vel ciuitati, pars ipse, qui vindicatur, vel propinquis eius exoluitur.*

#### §. IV.

Ad nostrum potius scopum proprius accedentes, omnium primo in medium afferre iuuat, quae, de auibus feris furto ablatis, statuunt maiorum nostrorum Leges, de illis ad quadrupedes progrediemur, ab his autem ad appetatum venatorum, ac omnibus absolutis, quaedam, de processu criminali, in hoc delictorum genere obseruato, subiectemus.

#### §. V.

Inter aquæ itaque feras, in primis vel plane  
vnice,

vnicē, memorantur diuersa accipitrum, siue eiusmodi auium, quae aliarum praeda viuunt, genera, in earumque furta variae poenae statuuntur, manifesto satis indicio, maiores nostros iis ad venationem vsos. (Vid. quae, de deliciis, quas Vet. Germ. populi, ex venatione, per accipitres, capiebant, infra, §. 6. n. a. & §. 8. n. f. notauimus.) Confirmat hoc etiam *Falconarius* (a) inter venatores, qui in serie officialium praeccipuorum, in aula Imp. Carolingicorum, numerantur, quoque memoratus. In explicandis autem nunc his furtis, ordinem sequemur legum, inter quas, iure meritoque, &, ob antiquitatem & dignitatem, Legi Salicæ (b) primæ praecipuae partes sunt tribuendae. Ex illius *Tit. VII. de Furtis auium*, ap. *Cel. EC-CARDVM*, p. 24. 25. & paulo aliter, ap. *LINDEN-BROG. Cod. LL.* Ant. p. 317. t. 7. sequentia huc pertinent. 1) *Si quis accipitrem furauerit de arbore MALB* (c) *ORTFOCLA*, (d) *CXX. den.* (e) *qui faciunt solidos III.* (f) *culpabilis iudicetur, excepto capitale* (g) & *delatura.* (h) 2) *Si quis de pertica accipitrem furauerit, MALB. WEIANO,* (i) *siue ORTFOCLA, DC. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura.* 3) *Si quis accipitrem de intro clauem repositum furauerit, MALB. ORTFO-CLAE, siue WEIANO PANDETE,* (k) *M. DCCC. qui*

qui faciunt solid. XLV. culpabilis (l) iudicetur, excepto capitale & delatura. 4) Si quis sparuarium furauerit, M A L B. S V C E L I N, (m) CXX denariis, qui faciunt Solid. III culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura. 9) Si quis turturem (n) de trappa (o) furauerit, M A L B. A C F A L L A, (p) D C. den. qui faciunt solid. XV. culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura. His Ripuariorum leges iungere liceat, ubi tit. XXXVI. de diuersis interfectionibus (q) no. XI. haec habentur: Si quis Weregeldum (r) soluere debet, - - - acceptorem (s) non domitum pro III. solidis tribuat, commorsum gruarium (t) pro sex solidis tribuat, acceptorem mutatum pro XII. solidis tribuat. & no. XII. Quod si cum argento soluere contigerit, pro solido XII. denarios, sicut antiquitus est constitutum.

(a) Vti patet ex *Hincmar*, Archiep. Rhemens. celeberrimi epistola, ad proceres regni, de institutione Carolomanni regis, & de ordine palatii, ex *Adalardo*. Operum Tom. II. p. 208. seq.

(b) Haec lex, a *Francis Saliis*, haud dubie, nomen accepisse videtur. In qua etiam sententia versatur, *Ill. HEINECIVS*, in Praef. ad *Corp. Iur. Ant. Cons. GEORGISCH*, *Francos Salios*, a *Sala*, huius nominis, *Franconiae vel Thuringiae*, non incelebri fluvio, dictos, existimans. Ast. *Cl. Barth. Christian RICHARDVS*, in pererudita, *de Francorum, Saliorum & Salicorum, origine atque differentia*, (*Jenae habita, 1713.*) Salicam legem, a Belgica voce *Sael* vel *German*, *Saal*, palatio, curia, dictam, *Francos contra Salios a Romanis, ob similitudinem cum*

Martis sacerdotibus Saliis, quod scil. & isti, leuiter celeriterque armis decertando, saltarent, hoc nomen primum inditum fuisse, ab hisque differe *Francos Salicos* i. e. gentis nobilissimos, a *Saal* sive *palatio*, ita nominatos, monstrare, suamque, de *Romanis Francorum Saliorum* appellatione, sententiam, ex quibusdam, in primis *Ammiani Marcellini*, & *C. Solii Apolinaris Sidonii* locis, comprobare conatur. Hoc vnicum adhuc hic monere necesse duximus, nos semper lectio[n]em *Eccardinam*, omnium utpote accuratissimam, in *Lege Salica* secutos, ac *Lindenbrogianam* aliasque consulto omisſisse, ne labor euaderet nimis prolixus.

(c) Per hanc quasi abbreviatam vocem, intelligitur *Glossa Malbergica*, seu judicialis, cuius est, latinas voces, per Germanicas eo tempore visitatas, veluti explicare, quod vniqa vice notasse, vt credimus, sufficiet. Plura haud vulgaria huc pertinencia, obseruat Cel. *ECCARDVS*, in not. *ad Leg. Sal.* p. 14. not. *Malberg*.

(d) Prolixum sane nimis foret, integras Cel. *ECCARDI* praestantissimas notas, huc semper transscribere, quare contentum fore B. L. persuasi sumus, si modo indicemus, quam ille, sub vnaquaque voce, intelligat auem feram, quemadmodum hic, sub *Orfoclae* vocabulo l. c. latere putat, Germanorum *Adler* & *Latinorum aquila*.

(e) *Denariorum tot sunt genera, quo[rum] populorum*, inquit *Henr. SPELMANNVS*, in *Arbaeol.* v. *Denarius* p. 207. 208. ed. *Lond.* 1626. fol. Eorum igitur, apud *Francos* quoque, diversam fuisse naturam & computandi rationem, & ex hac lege *Salica*, luce meridiana clarius patet. Ac licet multam, in explicantia eorum indole indicandoque valore, posuerint, operam, Viri eruditio[n]e Clarissimi, potissimum *WENDELINVS*, in *Glossario Salico*, & *Celeb. ECCARDVS*, in egregiis suis ad *Leges Salicas*, notis, p. 11. & 12. non leues tamen, nec paucae difficultates ac obscuritates remanere videntur. Interim tamen, quae saepius citatus *Eccardus* congeslit, quo legantur, omnino merentur.

(f) v. Not. proxime praecedentem.

(g) Denotat ipsam rem, cuius restitutio petitur, vel eius estimationem.

(h)

(h) Hac voce sumtus indicantur, in caussae prosecutio nem impendendi, dum inficiando lis crescit. Alias etiam dilaturam siue morat norat. v. ECCARD: l. c. p. 15. LIN DENBROG. in *Gloss.* h. v. p. 1387 a, sententiam *Vadiani*, pro pretio delatori constituto, interpretantis, sequitur.

(i) Nos eiusmodi accipitrem adhuc *Weiben* (vel potius Weiher) nuncupare, putat ECCARD. l. c. p. 24.

(k) Vocem hanc, *Pandete*, significare *vinculum*, ostendit ECCARD. loc. & pag. cit.

(l) Saepius laudatus ECCARDVS, p. & l. c. putat, esse accipitrem passeritum, qui passeris insectatur, v. & Du CANGE *Glossarium* (*Edit. Francof. ad Moen. 1710. fol.*) Tom. III. p. 914. Nos autem in ea versamur opinione, non sine probabili ratione, hic intelligi eum accipitrem, quem adhuc hodie, *den Sperber*, vocamus. Consentit nobiscalam LIN DENBROG. in *Gloss.* Cod. leg. Ant. adiecit. h. v. p. 1482 a.

(m) *Hoc nomen*, inquit, ECCARDVS l. & p. c. *nosfra in lingua deperditur est*, sed ex ea dubio procul Slauonicae illatum, ibi restat; & Bohemis Polonisque sokol adhuc accipitrem fringillarium, siue sparuarium, vulgo denotat. Nec aliis originis esse puto Gallicum & Hispanicum sacre & Anglicum sacer, quo certam accipitris speciem designant, quoque nomine etiam hominem voracem & helluonem *Galli nostri* vocant. Ex sacre vero facel, socol, & fucel, & diminutum fucelin, fuceling, facillime prodit.

(n) Hic auem, quam *Drossel*, vocamus, denotari, monstrat. IDEM l. c. p. 25.

(o) Gallis, *trappe*, est decipula avium, item muscipula, hinc, attraper capere, decipere &c. v. IDEM l. & pag. cit.

(p) Francicum hoc *trappae* nomen, significat verbote nus auium decipulam. Vnde & Germanica nostra vox *Falle*, v. g. *Mause Falle*, descendere videtur. Conf. IDEM. l. c. p. 25. & 26.

(q) Ap. ECCARDVM, pag. 218. & ap. Lindenbr. C. L. Ant. pag. 456. 57. t. 36. no. XI. seq.

(r) *Weregeldum* vel *Weregildum*, quae vox, diuerso plane scribendi modo, deprehenditur apud Scriptores medii aeui,

notatque pretium siue mulctam, laeso, in compensationem damni & iniuriarum illatarum, & in primis occisi proximis agnatis, datum, conf. *Du Cange*, in *Gloss.* hac voce. & *Diss. nostrae* de *Jurisprudentia Vet. Germ.* §. VII. n. 12. Vid. & *Lindenbr.* in *Gloss.* v. *Weregildum* p. 1497. b.

(s) v. §. sequ. not. o.

(t) i. e. Accipitrem, in gruum venatione & pugna cum iis, exercitatum, ut obseruat *ECCARD.* l. c. in not. ad has voces. v. & *Lind.* in *Gloss.* voc. *commorsus gruarius* p. 1380. b. & *Grua* p. 1408. vbi *grua* per *grus* explicatur.

## §. VI.

Salicas excipient leges Baiuariorum, quae pariter diuersa auium ferarum furta recensent, ac poenis, licet non admodum grauibus, castigant. Ex earum itaque *titulo 20*, qui de *Accipitribus* vel *auibus*, inscribitur, huc spectant, quae sequuntur. (\*) Si quis (a) *accipitrem occiderit*, quem chranohari (b) dicunt, *cum sex solidis* (\*\*) & *simile componat*, & *cum uno sacramentali* (c) *iuraret*, vt ad volare & capere similis sit. 2) De eo qui dicitur ganshapuch, (d) qui anseres capit cum tribus solidis componat & similem reddat (e) 3) Illum, quem anothapuch (f) dicimus, cum solido & simile componat. 4) De sparuariis (g) vero pari sententiae subiaceat, cum solido & simile restituendi, & cum sacramento, (h) vt tales sint, quales interfectione damnavit. 5) Si vero furto ablati fuerint, per omnia furtuum cogantur soluere, vt lex

lex compellit. 6) *De his quidem avibus, quae de siluaticis (i) per documenta humana domesticantur industria, & per curtes nobilium mansuescunt volitare atque cantare, cum solido uno & simile componat, atque insuper ad sacramentum.* Langobardorum Leges, Libr. I. Tit. 25. c. 38. (\*) hanc furti speciem ita describunt: *Accipitres de Sylua alterius tollens, excepto de Gajo (k) regis, habeat sibi, dominus si superueniat, tollat is accipitres, & omnis culpa in altero cesseret.* *De Gajo Regis autem accipitres tollens, soluat XII. Solidos.* *De arbore signata syluae alterius, accipitrem e nido auferens, componat solidos VII.* Et Rotharis Rex Langobardorum, in suis legibus, (1) haec ita exprimit. Lege scil. 325. *Si quis accipitres de sylva alterius tulerit, excepto de Gajo (m) regis, habeat sibi.* Nam si dominus syluae superuenerit, tollat accipitres, & amplius culpa, aduersus eum non requiratur. *Et hoc idem iubemus ut si quis de Gajo regis accipitrem tulerit, sit culpabilis regi, solid. XII. L. 326.* Si quis de arbore signata, in sylua alterius, accipitrem de nido tulerit, componat solid. VI. 1) Lex denique Alamannorum, Tit. 101. (n) de *Acceptore occiso*, haec habet n. 20, *De Acceptore, (o) qui aucam (p) mordet, tres solidos soluat, si gruem (q) mordet, sex solidos componat, ac Tit. 99. (r) De eo, qui bison-*

*tem vel caetera animalia, aut furauerit, aut occiderit.* L. 17. *Si grus fuerit furata aut occisa, tres solidos soluat.* L. 18. *Si auca (s) fuerit inuolata (t) aut occisa, nouem geldos (u) soluat.* L. 19. *Aneta, (x) gariola, (y) ciconia, coruus, cornicula, (z) columba, & couha, (aa) & croerola, (bb) ut alia similia requirantur. (cc)*

(\*) Prout extant in GEORGISCH: Corpore Iuris Germ. p. 321. & Lindenbr. Cod. Leg. Ant. p. 436.

(a) Deest haec vox, in Edit. Lindenbr. ibid. no. 1. Generatum autem Francis omnibus, adeo in deliciis fuit venatio, in primis accipitraria, vt ea, fere nihil prius nihil antiquius, habuerint. (Vid. & infra, §. 8. n. s. a nobis notata.) Ita enim Guntramnus Bosco ad Meroveum, ap. GREGORIVM Turonensem, Lib. V. Hist. c. 14. *Vt quid hic, inquit, quasi senes & timidi residemus, & vt hebetes circa Baslicam occulimur: veniant enim equi nostri, & acceptis accipitribus, cum canibus exerceamur venatione, spe haculisque patulis.* Nimii in accipitres amoris, luculentum sati exemplum praebet Becco Comes, ap. Eund. Lib. II. mirac. c. 16. qui Basilicae S. Juliani Briuantensis ministrum, seu aedituum, triginta nummis multauit, quod accipitrem a se elapsum, forte oblatum, prehensumque teneret. Obsessa a Normannis Pari- siorum vrbe, extrema obsidionis pertulere Franci, antequam accipitres absoluenter, sibique & coelo redderent: Abbas Floriensis, Lib. 7. de Obs. Paris. hunc in finem, ita canit:

*Quisque rogi patrios flatus ne clade perirent  
Accipitres loris permisit abire solutis.*

Hinc & ex iis, quae iam iam adduximus, & adhuc in sequentibus proferemus, abunde patet, quare rei venaticae, & in primis accipitrariae, adeo prospexerint maiorum nostrorum leges, potissimum Salica, tit. 6. & 7. Huic & studio originem debere suam videtur, solemne nobilium virorum sacramentum, super accipi-

accipitre & spata, de quo fusius disponit *Capitul: 21. Libr. IV.*  
*Cap. Reg. Franc. Vid. & Ant Dad. ALTESERRA. de Ducibus &*  
*Comitibus Galliae Prouinc. Libr III. c. XIV. p. 395. 96. edit. quam*  
*Celeb. ESTOR. praefatione egregia ornauit. Frane. & Gieffae 1731.*  
*in 8. Forsan exinde, & ad nostra vsque tempora, peruenisse*  
*videtur, ardearum venatio, Reiger Beisse, vulgo dicta, adeo no-*  
*nstris summis ptincipibus cara, de qua extat, non inelegans dis-*  
*fertatio. Hub. Ioseph. HVFF, de Steinach, De ardearum vena-*  
*tione, vulgo Reiger-Beisse, Alt. 1738. in 4.*

(b) LINDENBROGIVS, in *Gloss. Codici Leg. Ant.* ad-  
 iecto, voce *Cranobari* pag. 1383. b. legendum censet *Chranicb-*  
*apich*, quod quidem vocabulum, compositum existimat, ex  
 Germ. *Cranicb*, *grus* & *Hapich*, *accipiter*, eundemque esse,  
 qui in LL. *Alam.* Tit. 99. diceretur, *accipiter, qui gruem mor-*  
*det*, seu *comimorsus gruarius*. Eandem, cum *LINDENBRO-*  
*GIO*, sententiam, fovent, *Henr. SPELMANN*, in *Archaeol.* voc.  
*Acceptor* p. 7. & voc. *Carnobari*, pag. 193. a. ed. *Lond. 1626 fol. Du*  
*Fresne*. hac. voc. (edit. *Franc. 1710. fol.*) *Tom. I. p. 1370. Cel.*  
*ECCARD.* in *Not. ad Leg. Ripuar.* pag. 218. Nos autem in  
 ea versamur opinione, vocem *Cranobari*, indicare *accipitrem*,  
 qui cornices, *Kraben*, mordet, i. e. capit.

(\*\*) Solidorum, & in his legibus, natura ac valor aequa in-  
 certus est ac obscurus, vt in *Lege Salica*, v. §. praeced. n. e.

(c) Sacramentales erant in medio aeuo, qui, simul cum  
 aliquo, iurabant. Non solus enim reus innocentiam suam, iu-  
 ramento firmare, debebat, sed insuper necesse habebat, vt si-  
 mul propinqu vel amici eius eum, recte iurare, suo iuramen-  
 to, testarentur, qui ideo dicebantur, iuratores, sacramentales, com-  
 purgatores, & coniuratores, erantque plerumque numero *duo-*  
*decim*, quod *duodecima manu* iurare & sacramentum plenum,  
 dicebantur. Interdum plures adhibebantur, ita vt, apud *An-*  
*glos*, *trecentesima manu* iurarent, quod ab *Henr. V. rege* pro-  
 hibitum. Quandoque & minor numerus requirebatur. *Conf.*  
*STRV. Hist. Iur. Cap. IX. §. 10. p. 760. seq.* nec non *Eberb.*  
*Rud. ROTH. Diff. De antiquissimo probandi ritu, per sacramenta-*  
*les sine coniuratores, Ulmae 1689. 4.* *Ioh. Georg. SIMONIS*  
*Diff.*

*Diss. de Sacramentalibus, Halae 1695. 4. ac Iob. Frid. WEIDLERI Diss. de Sacramentalibus, Witt. 1738. 4.* Singularem etiam ritum in medio aevo deprehendimus, rerum de commisso criminis, per VII. testes, sive sacramentales, conuincendi, qui dicebatur, *das besiebenen*. Vid. Franc. Heinr. BISCHOFF. *Diss. de usu VII. sacramentalium, in probatione, vel VII. testium, in confessione criminis, von Besiebnungen. Argent. 1717. 4.*

(d) Vocem hanc compositam ex *Gans*, quae mere Germanica, adhuc anserem significans, & *Hapuch*, nemo est, qui non e vestigio perspiciat. Ab hac autem deriuari debet nostrum *Habicht*, qui & inter *accipitres* refertur, conjectura est, quae a veritate non videtur aberrare. Haec deriuatio quoque placet Henr. SPELMANNO, in *Archaeol. v. Gansa & Ganshapich*, p. 308. a.

(e) Haec verba omnia, sub hoc numero allata, apud HEROLDVM non deprehenduntur, & ap. *Lindenbrogium*, pag. 436. t. 20. n. 2. loco *Ganshapuch*, *Ganshapich* legitur, quae lectio nostram conjecturam magis adhuc confirmat.

(f) Videtur hic potius praferenda lectio *Lindenbrogiana*, pag. 436. t. 20. n. 3. vbi extat *anethapich*, ita ut, ad modum prioris, ex *aneta* & *bapich*, sit composita. Aneta vero est avis aquatica, quam nos *Ente* appellamus. Vid. Du FRESNE hac voce, & LINDENBROG. in *Gloss. h. v. & v. aneta* p. 1354. a & b.

(g) De his v. §. praeced. n. 1.

(h) i. e. Iuramento pleno. Vid. supra h. §. n. c. Sacramentorum, in veteris Romae iudicis solemnium antiquitates, peculiari & eleganti *Diss. illustravit* Iob. Frid. SCHREITER, Lips. 1740.

(i) LINDENBROGIUS in *Cod. leg. Ant.* p. 436. t. 20. n. 6. legit *saluaticis*, sed sine probabili conjectura. In *Gloss. Idem*, p. 1471. b. v. *saluaticae aues*, interpretatur eas, per aues feras, quas Itali, suo idiomate, ita adhuc retinerent.

(\*) Ap. Lindenbr. *Cod. LL. Ant.* p. 566.

(k) *Gaium* dicitur, sylva densissima, testibus, Du FRESNE, hac voce. Tom. I. p. 638. Henr. Spelmanno in *Archaeol. h. v.* p. 304. b. ed. Lond. 1626. fol. & LINDENBR. in *Gloss. h. v.* p. 1406.

p. 1406. a. Forsan non difficile foret, nostrum Haym, inde deducere.

(l) Apud GEORGISCH, *Corp. Iur. Germ. Ant.* p. 1006.

(m) Alia MSta legunt Gaie. Huc etiam spectat lex 322.

*Si quis accipitrem, gruam* (i. e. gruern, v. not. q. aut cignum, vel potius ciconium, i. e. ciconiam, v. Eccard. ad Leg. Sal. pag. 25. n. ortfoela) *domesticum alienum intricauerit*, (i. e. in tricas coniecerit, vel "aqueauerit v. Du Cange, hac voce.) componat solidos VI. nam si furatus fuerit, reddat in Oftogilt. i. e. octies restituendo pretium rei, quoquis modo ablatae, v. Du Cange Glossar. hac voce, Tom. III. p. 38. & Lindenbr. in Gloss. h. v. p. 1448. a. Interdum & duplum notat, Id. ibid. Vid. quae infra n. u. annotauimus.

(n) Ap. GEORGISCH, p. 229.

(o) Acceptorem, esse accipitrem, alibi sparuarium dictum, contendit Du FRESNE in Gloss. hac voce Tom. I. pag. 34. V. §. praec. n. l. SPELMANNO, in Archaeol. h. v. p. 6. 7. *Acceptor* idem est ac accipiter, nec non Lindenbr. in Gloss. h. v. p. 1346. a.

(p) Auca idem significat, ac anser. Quae de hac voce obseruat Eccard. ad Leg. Sal. p. 26. sub not. *Acfalla*, sunt omni- no notatu digna. Vid. & Du Fresne, in Glossario, hac voce. Tom. I. p. 420. & SPELMANN l. c. hac voce p. 59. a.

(q) *Grus vel grua*, WENDELINO, ad Leg. Sal. sunt ardeae. Vid. & Du FRESNE, in Gloss. hac voce, Tom. II. p. 740. SPELMANNO l. c. h. v. p. 324. a. *Grua*, est Grus.

(r) Ap. GEORGISCH, *Corpus Iur. Germ. Ant.* p. 227-29. & Lindenbr. in Cod. LL. Ant. p. 389. 390.

(s) V. not. p.

(t) Inuolare, notat, per vim auferre, vnde Gallorum voler, prout contendit Du Fresne, in Gloss. hac voce. Tom. II. p. 129. nec non furari, obseruante Eccardo, ad Leg. Sal. p. 165. V. infra §. 8. n. bb.

(u) Dicitur etiam nouigildus, nouigildum, seu niungeldum, eratque multa pro re qualibet, ablata furto aut alio quoquis modo, qua reus nouies eiusdem rei pretium reddere teneba

tenebatur. v. Du Fresne l. c. hac voce. Tom. III. p. 853. 54. Lindenbr. in Gloss. voce *Nouigildus*, p. 1446. b.

(x) Vid. supra, not. f.

(y) Hac voce intelligi picam glandarium, nobis Hoier, siue Heer dictam, auctor est. Du Cange, in Gloss. hac voce, Tom. II. p. 666. Vid. & Henri. SPELMANN. l. c. v. Gariorala, al. Garriolus p. 310. a. Cum quo consentit quoque Lind. in Gloss. v. *Garriola*, p. 1406. b.

(z) i. e. Cornix. V. Du Cange l. c. Tom. I. p. 1339.

(aa) LINDENBR. in Cod. Leg. Ant. b. t. p. 389. legit cauba & in Gloss. p. 1374. a. recentis quibusdam lectionibus variantibus, cornicem denotare contendit. Eadem lectionem & sententiam tuetur, SPELMANN l. c. v. *Cauba*, p. 153. a. addens saltem: *Nos autem bodie a chauh, & chouh dicimus cornicem rubra habentem crura.* Du Fresne v. *Cauba* Tom. I. p. 1000. (edit. Fr. ad Moen. 1710. fol.) *Aliae*, inquit, *editiones* habent canna, anas, nostris une *Canne*. Alemannis vero *Kaut* est columba. *Lydius monedula* interpretatur, quia Belgique *Kauve* est monedula. Sub voce *Cauanna* vero, ibid. p. 995. 96. *Vocem (Cauannam)* inquit, *retinent Gallo-Belgae*: noctuam enim, vulgo *cabuan*, vocant. Nobis quidem, retenta *coubae* lectione, sub hoc vocabulo, ea accipitrum species, forsitan latere viderunt, quam *guck guck*, vel *Vbu*, dicimus. In transitu veluti adhuc notasse iuuabit, reperiri vocabulum, *Coubae*, quod, per porticus nundinarias, interdum & ipsa placitorum fora, interpretatur Du FRESNE, ed. cit. Tom. I. p. 1152.

(bb) Vel Querola, a querendo, sine dubio, ita dicta, noctuarum est species. Vid. quae, sub hoc vocabulo, obserauuit, Du Cange, in Glossar. Tom. I. p. 1387.

(cc) i. e. Ut eiusdem generis aues, eodem pretio, intuitu poenae, iudicentur.

## §. VII.

Ab auibus feris, nunc progredi liceat ad quadrupes.

drupedes feras, de quarum furtis Lex Salica sequentem in modum disponit, Tit. 36. de Venationibus (a) no. 3. (\*) Si quis ceruum (\*\*) domesticum, signum (\*\*\*) habentem, furauerit, aut occiderit, qui ad venationem faciendam mansuetus factus est, & telarium (b) cum testibus potuit adprobare, quod extelarius (c) fuisse, MALB. TROVANDIO, (d) MDCC. denar. qui faciunt solid. XLV. culpabilis iudicetur. 4) Si quis vero alium ceruum domesticum, qui in venatione adhuc non fuisse, occiderit aut furaverit, MALB. TROVVIDIO CHAMSTALA, (\*) MCCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culpabilis iudicetur. 5) Si quis ceruum lassum, quem alterius canes mouerunt & adlassauerunt, inuolauerit, aut celauerit, (\*\*) MALB. TROCHVVIDEO, (e) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur. 6) Si quis aprum, quem alieni canes mouerunt, & allassauerunt, occiderit, vel furauerit, MALB. ARWERNON, (f) DC. den. qui faciunt sol. XV. culpabilis iudicetur. Lex Ripuariorum XLII. de Venationibus, (\*) breuior est, duas tantum huius furti recenset species. 1) Si quis scilicet ceruum domitum vel cum triutis (\*\*) occiderit, aut furatus fuerit, non sicut de reliquis animalibus furtum, exigatur, sed tantum XLV. solidis culpabilis iudicetur. 2) Si autem in venatione non fuit, triginta solidis culpabilis iudicetur.

C 2

Lex

Lex contra Alam. Tit. 99. (100) (g) *De eo, qui bisontem, (h) vel caetera animalia, aut furauerit, aut occiderit, (i) copiosior adhuc est in re- censendis eiusmodi furorum speciebus.* Nimirum 1) *Si quis bisontem (k) bubulam (l) vel ceruum, qui prugit, (m) furauerit aut occiderit, XII. solidos componat.* 2) *Et si ceruus ille treudis (n) non habet, medium solidum componat.* 3) *Si treudis habet, & cum ipso nihil sagittatum est, soluat solidum unum.* 4) *Si rubeus feramus (p) cum ipso sagittatus est, tres solidos soluat.* 5) *Si niger est, solidos VI. componat.* 6) *Si inuolatus fuerit, nouemeldos componat.* 7) *Si cerua indomita fuerit occisa, tremisso (q) soluat.* 8) *Sit treudem habuit, medium solidum.* 9) *Si cum ipsa rubea fera (r) sagittata fuerit, sex solidos soluat.* 10) *Si nigra, sex solidos componat.* 11) *Si inuolata fuerit, nouemeldos componat.* 12) *Si vrsus alienus occisus aut inuolatus fuerit, soluat eum solidis VI.* 13) *Aprum similiter.* E Rotharis tandem Langob. Regis Legibus (s) huc pertinent Lex 318. *Si quis feram ab alio plagatam, (t) aut forsan mortuam inuenerit, & celauerit, componat solidos VI. illi, qui eam plagauit (v. Libr. I. Leg. Lang. Tit. 22. c. 5.) 320.* *Si quis ceruum, qui tempore suo rugire (u) solet, intricauerit, (x) componat domino eius solidos XII. nam si furatus fuerit, redat*

*dat in octogilt (LL. Lang. Lib. I. Tit. 19. c. 13.)*  
 (y) 321. *Si quis ceruum domesticum alienum, qui non rugit, intricauerit, componat domino eius solidos VI. nam si furatus fuerit, reddat in Octogilt.*  
*(LL. Lang. Lib. I. tit. 19. c. 13.) Haec de quadrupedibus feris, in maiorum nostrorum institutis, in scripturam relatis, licet deprehendere.*

(a) Ex edit. ECCARDI, pag. 68. & Lindenbr. Cod. Leg. Ant. p. 328. Tit. 28.

(\*) Ap. ECCARD. pag. 69.

(\*\*) *Cerui, inquit ECCARDVS, in not. ibid.) facile mansuefunt, atque ab antiquissimis temporibus mansueti ad venationem adhibiti fuerunt. Praemirtebant nempe eiusmodi domitos ceruos in siluam, quo cerui alii & binnuli, nil mali metuentes ipsi se sociarent, atque ita facilius in casses, aut tela inciderent, Signa iis appendebantur, ut eo facilius dignoscerentur. Mos autem hic, inuenio puluere pyrio, cum iam e longinquuo feriri posset ceruus, in desuetudinem apud nos venit. Ceruorum domesticorum meminit adhuc Ius Alemannicum, scil. Schwaben-Spiegel, Cap. 21. §. 2.*

(\*\*\*) *Signum hoc BIGNONIVS de nola, sed rectius ECCARDVS, in not. pro nota quacunque, ceruo, ut dignosci possit, appensa, interpretantur.*

(b) Hanc vocem superfluam esse, ideoque eam delendam prurat ECCARDVS, in not. l. c.

(c) i. e. qui extra telum est, ut eo non feriri queat. I. DEM ibi l.

(d) Restituendum *tromidio*, eoque vocabulo, designari ceruum, domitum, mansuetum ad venationem contendit, in not. ECCARDVS.

(\*) *Ostensis horum vocabulorum originibus, concludit Eccardus, in not. Vnde sequitur *tromidio* *chamftala* esse idem, ac ceruum e domo, sive ceruum domesticum furauerit.*

(\*\*) ECCARDVS, l. c. legendum putat *telauerit* i. e. *telo percusserit*.

(e) Idem esse ac *tromidio*, sed in hunc locum, per errorem irrepsisse, statuit ECCARDVS. l. c.

(f) Germanicam quasi versionem esse, Latinorum apri, ostendit ECCARD. l. c. simulque multa, de vi huius vocis, eiusque cognatis vocabulis, & diuersa eorum flexione, affert, notatu dignissima.

(\*) Apud ECCARDVM, Salicae legi adiuncta, & quidem pag. 219. & ap. Lindenbr. Cod. LL. Ant. p. 458. t. 42.

(\*\*) *Triutos*, vel, vt infra occurret, *treudes*, pullos esse ceruinos, monstrat *Eccardus*, in not. ibid. & simul vim vocis, *True*, ostendit.

(g) Ap. GEORGISCH, in Corp. Iur. Germ. Ant. p. 227-229. & ap. LINDENBROG. l. c. p. 389. 390.

(h) LINDENBROG. l. c. p. 389. legit *bisontem*, vel *bubalam*.

(i) In HEROLDINA editione iste titulus inscribitur: *de bisonte & caeteris animalibus furatis*, secaturque rursus in plures titulos, seu capita.

(k) *Bisontes*, inquit Du Fresne, in *Gloss.* edit. nouae Paris. 1733. fol. mai. Tom. I. p. 1182 (in prioribus enim editionibus haec vox plane non reperitur) *Boues feri, Bubali, Gall. Buffle*.

(l) *Bubalum* bouem esse siluescrem, quem *Büffel* vulgo vocant, docet Du Cange, in *Gloss.* hac voce. Tom. I. p. 701. Vid. & Lindnebr. in *Gloss. Cod. Leg. Ant.* adi. h. v. p. 1365. ac infra §. 8. n. t.

(m) Alii habent *brugit*, vel *burgit*. Sed, vt infra in *Leg. Lang.* occurrit, legendum potius videtur, *rugit*, prout etiam putat Du Cange, in *Gloss.* voce, *rugire*, Tom. III. p. 708. Si autem eam, quae hic deprehenditur, lectionem retinere voluntus, sine dubio, hoc vocabulum effectum, a Germanorum adhuc usitata voce, *brunffen*, quae de ceruis solet usurpari.

(n) *Treudis* idem est, ac *triutis*, vid. supra post f. not.

\*\* & LINDENBROG. in *Gloss.* cit. v. *treudis*, p. 149 I. a. & v. *triudis* p. 1492. a. mutuam ob invenimus cum *trudis* invenimus.

(o) Sa-

(o) Sagittare idem est, ac sagittis percutere. *Lindenbrog.*  
l. c. p. 1469. v. *sagittari*.

(p) HEROLD. haber, rubeus *feramus*. LINDENBROG. in *Gloss.* p. 1399. per feram rubeam, *Gelbwild*, interpretatur, Du Fresne contra, h. v. Tom. II. p. 418. 19. edit. exc. idem esse ac feramen, & hoc feram generatim indicare, contendit.

(q) *Tremissis*, idem ac tremissis, notat tertiam assis partem, v. Du Fresne, in *Gloss.* hac voce Tom. III. p. 1300. LIN DENBR. in *Gloss.* voc. *tremissis* p. 1491. a *Tremissis*, inquit, *id est* quatuor denarii.

(r) *Fera* idem significat, ac feramus, v. supra not. p. HEROLD. legit, rubica fera.

(s) Ap. *Georgisch*, in *Corp. Jur. Germ. Ant.* p. 1005.

(t) h. e. verberatam vel vulneratam, v. *Du Cange* l. c. Tom. III. p. 333. hac voce, & *Lindenbr.* in *Gloss.* v. *plagare*, pag. 1457. a.

(u) Vid. quae notauimus supra, not. m.

(x) Al. MSt. legunt plagauerit. Intricare autem, vt supra iam indicauimus, notat in tricas conicere, vel potius, illaqueare aut vulnerare. Vid. *Lindenbr.* in *Gloss.* v. *Intricare* p. 1418. a.

(y) Ap. *Lindenbr. Cod. LL. Ant.* p. 448. n. 13.

### §. VIII.

Ipsam quoque circa venationem, eiusque apparatus commissa furta, horumque poenas, vt nunc persequamur, scopus, quem nobis praefiximus, iure suo, postulare videtur. De prioris enim furtis, sequentem in modum, statuunt I) Lex Salica, Tit. XXXVI. de Venationibus (a)  
I) Si quis aliqua de venatione, de auibus aut de piscibus furauerit, Malb. Leudardi (b) D.C. den.  
qui

met

qui faciunt sol. *XV.* culpabilis iudicetur. 2) *Quam legem tam de venationibus, quam de piscationibus conuenit obseruare,* II) *Ripuariorum Lex, tit. XLII. de venationibus* (c). *Si quis de diuersis venationibus furauerit aliquid, & celauerit, seu & de piscationibus, quindecim solidis culpabilis iudicetur.* *Quia non est haec res possessa, sed de venationibus agitur.* De apparatus autem ipsius venatorii, qui sine dubio, e maiorum nostrorum genio, simplicissimus fuit, furtis, in maiorum nostrorum legibus pauca licet deprehendere. Ad illum in primis pertinent canes venatici, de quorum furtis Lex Salica Tit. VI. de furtis canum, (d) ita statuit. 1) *Si quis canem Segusium (\*) magistro suo furauerit,* Malb. Leodasdi, (e) DC. den. *qui faciunt solid.* *XV.* culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura. (\*\*) 2) *Si quis Segusium magistrum canem furauerit,* Malb. Trowidowano Tuene Chunne (f) M. DCCC. den. *qui faciunt solid.* *XLV.* culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura. 3) *Si quis canem, qui ligamen nouerit,* post solis occasum occiderit, Malb. Theophano, (g) DC. den. *qui faciunt sol.* *XV.* componat, excepto capitale & delatura. 4) *Si uero agutarito (\*) furauerit,* Malb. Chunnovano, (h) DC. den. *qui faciunt solid.* *XV.* culpabilis iudicetur, excepto capitale & delatura. In Lege autem

tem Baiuariorum, Tit. 19. de Canibus & eorum  
compositione, (i) sequentia, de hoc furto, sanc-  
ta offendimus. 1) Si quis canem seucem, quem  
leitihunt (k) vocant, furauerit, aut similem, aut  
ipsum reddat, & cum sex solidis componat. Et si  
negare voluerit, cum tribus sacramentalibus (l) iu-  
ret, secundum legem suam (m). 2) Si autem seu-  
cem doctum, quem triphunt (n) vocant, fura-  
uerit, cum tribus solidis componat, aut cum  
uno (o) sacramentali iuret. 3) Si autem seucem,  
qui in ligamine vestigium tenet, quem spurihunt  
(p) dicunt, furauerit, cum sex solidis componat,  
& similem aut ipsum reddat. 4) De eo cane, quem  
bibarhunt (q) vocant, qui sub terra venatur, qui  
occiderit, alium similem reddat, & cum sex solidis  
componat. 5) De canibus vel tricibus (r), qui vnum  
occiderit, qui leporem non persequitur, sed sua ve-  
locitate comprehendit, cum simile & tribus solidis  
componat. 6) De cane, qui dicitur hapihunt (s)  
pari sententiae subiaceat. 7) De Canibus, qui vr-  
flos vel bubalos, (t) id est, maiores feras, quod  
Schwarzwild dicimus, persequuntur, si de his occi-  
derit, cum simile & sex solidis componat. 8) Qui  
vero pastoralem, qui lupum mordet, occiderit, cum  
tribus solidis componat. Lex porro Burgundio-  
num Additamenti I. Tit. 10. (u) De Canibus, Vel-  
trais, (x) aut segutiis (y), aut petrunculis, (z) i-  
ta

D

ta disponit. Si quis canem Veltraum, (aa) aut segutium, vel petrunculum prae sumferit inuolare, (bb) iubemus, ut coniictus, coram omni populo, posteriora ipsius osculetur, aut quinque solidos illi, cuius canem inuolauit, cogatur exsoluere, & multæ nomine, solidos duos. Lex tandem Frisiorum, Tit. IV. de Seruo aut iumento alieno occiso, (cc) de hoc furti genere notat, quæ sequuntur, nimirum L. 4. Canem acceptoricium vel braconem parvum, (dd) quem barmbraccum (ee) vocant, III. solid. (ff) componat L. 5. Eum autem, qui lupum occidere solet, duobus solidis (gg) l. 6. Qui lacerare lupum & non occidere solet, duobus solidis (hh). Plura, in maiorum nostrorum sanctionibus, de huius furti poenis, haud datum fuit inuenire.

(a) Apud. Cel. Eccardum, p. 68. & Lindenbr. p. 128. 29. tit. 35. De Lege Salica generatim considerata, quædam dicta sunt supra §. V. n. b. pag. 13. Nos in L. Salica, vt iam supra indicauimus, vbique sequimur lectionem Eccardinam, a Lindenbriana quidem maxime diuersam, sed quæ tamen nobis omnium via fuit accuratissima.

(b) Vox Malp. supra iam explicata §. V. n. c. p. 14. & Leudardi idem est ac Leodasti, vti docet Cel. ECCARD. in not. ad Tit. VI. Leg. Sal. pag. 22. Et legi omnino merentur, quæ 1s, de hac voce, ibidem norauit. Ex quibus, ne extra oleas vagari videamur, haec tantum hue transscribere, necesse duximus. Omnia, scilicet inquit, haec exempla si curatius consideres, intelliges semper de actione dolosa, siue dolo malo eam adhiberi, & crimen a furto vel latrociniō distinctum denotare.

(c) Ap. ECCARD. l. c. p. 219. & ap. Lindenbr. l. c. pag. 458. tit. 42.

(d) Ap.

(d) Ap. ECCARD. pag. 22. & Lindenbr. l. c. p. 317. t. 6.

(\*) Segusius magister, hic eiusmodi canis intelligi videtur, quem LL. Bajuar. Tit. XIX. §. 1. seucem doctum, & LL. Alam. tit. 79. canem doctum scribunt. Quare & Cel. Eccard. h. l. p. 23. eum per, einen abgerichteten Hund, interpretatur. Vid. & Lindenbr. in Gloss. hac voce p. 1369. a. & quae infra, hoc §. not f. & k. notabimus.

(e) Vid. supra h. §. n. b.

(\*\*) Hae voces explicatae sunt supra, §. V. n. g. & h.

(f) Legendum, inquit, Cel. Eccardus, h. l. p. 23. trouuidouano tue nuene chunne. Sic nomen canis, cuius furtum prohibetur, & poena non obseruatae prohibitionis, indicatur. Vindicata dein & explicata voce, trouuidouano, addit: & trouuidouano persequendis & investigandis feris adsuetum, siue doctum canem designabit. Et apposite talis, qualem descripsimus, ut iam ante indicauimus, canis doctus in Leg. Alem. tit. 79. §. 1. vocatur. In Lege Bajoariorum, Tit. 19. §. 1. scriptum est: Si autem seucem doctum, quem triphunt vocant, furauerint &c. Quibus in verbis seuces, siue canis doctus, clare dicitur triphunt, siue, secundum nostrum scribendi modum, trüve trüwhund, quod idem est plane, ac Francicum trouuidouano. Sequentibus vero, secundum emendationem nostram, verbis, tue nuene chunne, poena bis nouem centenariorum, siue mille octingentorum denariorum, qui faciunt solidos XLV. exprimitur.

(g) Ita canis audit, qui ligamen nouit. Theven & thöven. Saxonibus est expectare, moram facere, sunt verba Cel. ECCARDI, ibid. p. 23. vbi tamen putat, rectius scribere debere, reophano, &, indicata huius vocis deriuatione, repehund, seu canem, qui resti vel corrigiae alligatus ducitur, intelligi, existimat.

(\*\*\*) Cangius, inquit h. l. Eccard. p. 23. putat, designari hic canem, qui arguto suo clamore feras insegitur. Sed Salmasius ad Capitolinum, notat, argutarios in Lege Salica dici pro acutariis, hos vero esse ὄξυτοδες, veteribus Latinis acupedes, h. e. minuto, citatoque gradu currentes. Ego Salmasio assentior, & agutaritum de vertraha interpretor, qui ocyor affectu mentis,

pinnaque cucurrit. *Lindenbr. in Cod. LL. Ant.* p. 317. c. VI. n. 3. legit, *Argutarius*, & in *Glossario* p. 1368. Germ. hodie dici putat, *Spürbundt*, vel *veltris leporarius*. *Henr. contra SPELMANNVS*, in *Archaeol v. canis*, p. 135. b. canem leporarium sub-intelligit, & duas eiusmodi canum species statuit, quarum una *leuipes*, altera *segnipes*, dicta fuerit.

(h) Est hoc Germanicum, sed corruptum *vertrahae* siue *vertagi* nomen, quod, secundum Skinnerum, a vertendo deducendum est. Gallis u. vt i. nostrum obscurum, sonat; vnde ex *windbund* factum est, *chindohund*, *chinnobund*, *chunnobund*, *cbunnobuand*, *chunnouand*, & tandem *chunnouano*, teste eod. *Cel. ECCARDO*, h. l. p. 23.

(i) Ap. *LINDENBROG. Cod. L. Ant.* pag. 435. & *GEORGISCH. Corp. Jur. Germ. antiqui*, pag. 320. 21.

(k) Vocabulum, *seuces* seu *segusius*, generatim canem doctum, & quae ipsi semper apponuntur verba, speciem, in quo scil. venationis genere, si doctus, indicare videtur, vide supra n. \* & f. ac quae notauit *LINDENBROG. in Glossario* h. v. pag. 1478. b. & *Du Fresne*, voce *Canis*, Tom. I. p. 827. edit. Fr. ad *Moen.* 1710. fol. Segusios canes a sequendo dictos, existimat *Spelmann* l. c. p. 136. a. Apposita vero hic loci vox, *leithbund*, pro qua legit *Lindenbrog. Leithibund*, sine dubio, canem ductorem, vel nostrum *Leithunt*, indicat, v. *Du Fresne* l. c. p. 826. *Lindenbr. in Gloss.* pag. 1422. a. *Spelmann*, l. c. p. 135. b. & 136. a. sub v. *Canis duxtor*, & *Canis Laitibunt*.

(l) De *Sacramentalibus* supra actum §. VI. n. c.

(m) Permissum enim omnibus erat olim, Germanicae originis, populis, qua quisque lege viuere vel iudicari vellet, v. *STRV. Hist. Jur. Cap. V. §. 7. p. 461. n. 3. c. VI. §. 3. p. 416. n. 8. & §. n. p. 439.* quid quod unusquisque in dubio, nisi eligere vellet legem, secundum protuinciae, in qua natus erat, iura debebat iudicari, v. *Celeb. Henr. Chriſt. SENCKENBERGII eruditissimam Disquisitionem*, de Exceptione Iuris Germanici, qua euocationes illicitae dicuntur. (*Franc. ad Moen.* 1733. 4.) *Cap. II. §. 2. pag. 15. de LVDEWIG ad A. Bull. Part. I. pag. 772.*

(n) i. e.

(n) i. e. Canis, persequendis & inuestigandis, feris adsuetus, ein treibebund, vid. supra n. f. h. §. & LINDENBROG. in Gloss. voce *Triphunt*, p. 1491. b. & v. *Canis* p. 1369. a. SPELMANN. l. c. p. 136. a.

(o) Deest in LINDENBR. pag. 435.

(p) i. e. Canis, qui odore suo, feras inuestigare didicit, nostris adhuc, *Spürbund*, dictus, quem, sub *argutario*, LINDENBROGIVS intelligit, vid. supra n. \*\*\* h. §. & Henr. SPELMANN, l. c. v. *canis*, p. 136. a.

(q) i. e. Canis, qui castorem insequi & capere didicit, *Biberbund* adhuc dictus, v. LINDENBROG. in Gloss. p. 1369. b. DU FRESNE, v. *canis*, Tom. I. p. 824. edit. *Franc. ad Moen.* 1710. fol. SPELMANN. l. c. p. 135. b.

(r) *Canis veltrris, veltribus, veltrus, vertragus* Du Fresne l. c. p. 827. 828. canis est sagax, vel odorisequus, leporarius. LINDENBROG. in Gloss. voce *canis veltrus*, p. 1369. a. & b. interpretatur per *mindtbund*, prouocans ad testimonium Clementis Scoti, seu potius incerti monachi S Galli, qui, in *Vita Caroli M.* Lib. I. p. 378. haec habet: *Affumpit duos caniculos in manu sua, quos Gallica lingua Veltres nuncupant, qui agilitate sua vulpes & caeteras minores bestias facillime capientes, quacaras etiam & alia volatilia ascensu celeriore saepe fallerent.* LINDENBROGII sententiae adstipulatur Henr. SPELMANN, in *Archaeol. voc. canis* pag. 136. a. & b. ed. Lond. 1626. fol.

(s) Alii legunt, *Habuchunt*, vel *Hapichunt*, i. e. *canis acceptorius*, qui cum accipitre venatur, vel, qui praedam accipitri venatur & ministrat. *Habich* enim, seu *Hapich*, Germanis est *accipiter*, canis *Hund*. SPELMANN. l. c. v. *Acceptor* p. 7. b. & *Canis acceptorius*, p. 135. b. DU FRESNE v. *Habuchbunt*, edit. nouae Paris. Tom. III. p. 1025. & *Canis acceptorius*. Tom. I. p. 824. ed. *Fr. ad Moen.* 1710. fol. LINDENBROG. in Gloss. h. v. p. 1368. b. Tantum, siquidem, admirationis in hoc voluptatis genere, (venatione per accipitres) posuere olim veteres: ut lege etiam prohiberent, ne quis Spatham, vel accipitrem suum, in ipsam capitum redemptionem cogereret dare: scilicet cum hic non minus

*vitae esset solarium, quam illa libertatis vindex, atque praesidium.*  
Sunt verba SPELMANNI l. c. p. 7. b. Quo in loco, antiquitatem huius generis venationis, contra Blondum, qui, illud ante aetatem Friderici Barbarossa non in usu fuisse, contendit, egregie vindicat, vid. quae de hac venationis specie, supra. §. 6. n. a. p. 18. 19. fusiis notauiimus.

(t) *Bubalus, Bufulus, Buslus, Gallice Büffle*, sunt verba Du FRESNE. h. v. Tom. I. p. 701. edit. modo excit. LINDENBROG. in Gloss. h. v. p. 1365. b. inquit, *Glossar. Latino-Theotisc.* Bubulus Wisater. Item, aliud *Gloss.* Bubalus Wisant, cornibus magnis boui similis, v. & supra §. 7. n. 1.

(u) Ap. LINDENBR. Cod. Leg. Ant. p. 304. & Georgisch. Corp. Iur. Germ. ant. p. 400.

(x) *Canes Veltrais* iidem hic esse omnino videntur, qui *veltrices*, de quibus vide supr. h. §. n. r.

(y) De his, vide pariter supra h. §. n. \* f. k. ac n.

(z) Hos Du Fresne, Tom. I. v. *canis petrunculus* pag. 826. 827. ed. cit. ita describit: *Dicti autem petrunculi & petronii, quia ita solitas calces habent, ut petras & rupes illae sim percurent, atque adeo ex iis sint, quos εὐποδας vocat XENOPHON, de Venat. c. 7. Sic FESTVS Petrones, rusticos a petrarum asperitate & duritie dictos auctor est. Porro canes Petronii ii sunt, quos vulgo, Chiens courans, appellamus: GRATIVS enim reprehendit in Petroniis, quod taciti accedere feras nolint, sed clangore nondum conspectas citare soleant. Nam & ipsis conuenit, qui simul ac in vestigia incident, vnamini & continuo clangore ea decurrent. Integrum Gratii, in Cynogetico locum, exhibit LINDENBROG. in Gloss. p. 1369. a. v. *canis petrunculus*, additique, Hispani quoque inde videntur babere saum Perro, cui SPELMANN. l. c. p. 136. a. v. *canis petrunculus* insuper addit. Id autem est *canis, perillo catulus, caeterum, praeter LL. Burgund. locum, supra in textu adductum, LINDENBROGII verba tantum videatur exscriptisse.**

(aa) Synonymum omnino videntur esse, *canis veltris*, de quo supra h. §. n. r.

(bb) Inno-

(bb) *Inuolare* notat, per vim aut furto auferre, v. *Lindenbrog.* in *Gloss.* h. v. p. 1426. & supra §. VI. n. t. p. 22.

(cc) Ap. *Lindenbr. Cod. Leg. Ant.* pag. 493. & *Georgisch. Corp. Iur. Germ. Ant.* pag. 417.

(dd) *Bracconem*, canem nominat sagacem indagatorem, vulgo Brac dictum, Du *Fresne*, in. *Gloss.* h. v. Tom. I. p. 669. ed. cit. *Lindenbr. in Gloss.* v. *Bracco*, p. 1363. a. *Reinent*, inquit, vocem Germani, Spec. Saxon. Libr. 3. art. 47. *winde*, unde *heshunde*, und *Bracken*. *Spelmannus* l. c. p. 104. b. v. *Bracco*, qui sua fere omnia, & hic, ex *Lindenbrogio* desumit, addit. *Et nos quidem bodie brachi dicimus de cane foeminea, quae leporem ex odore persequitur.* Haec canum species in arte heraldica adhuc occurrit, & maiorem potius canem, quem molossum dicunt, referre videtur.

(ee) *Lindenbr. in Gloss.* h. v. p. 1363. a. *Bracco*. inquit, *canis*, ut *infr. Barm paruum significasse*, binc discimus. *Spelmannus* l. c. p. 175. b. v. *Barmbraccus*, recensitis, pro more, *Lindenbrogii* verbis, addit: *sed non euincit ipsa lex, barm paruum significare*, quum ad speciem etiam referatur parvorum canum. *Pace* igitur *Lindenbrogii* mei, ego barm bic intelligo Saxonice. *beapm*, pro gremio, quod & prisco nostro idiomate (voces plurimas retinente frisonibus \* communes) manifeste significat. Sic MS. *Lennense* barme er lappe, gremium. *Et Catbol. barmcloth or napron, limas: id est, vestis, quae ab umbilico protenditur, usque ad pedes q. gremii pannus.* *Vnde priscus quidam,*

*Eft limas, pannus gremialis, quem coquus optat.*

*Proinde barmbraccus idem esse videtur, quod canis gremialis, Anglice a lappe tog: quales etiam bodie, nobiles foeminæ suae voluptratis gratia, in gremiis souent. Viuit utique apud nos vocabulum brach pro cane, de quo infra in Bracco. Lindenbrogii & Spelmanni sententias recenset Du Fresne, in *Gloss.* h. v. Tom. I. pag. 538. edit. saep. cit. nulla alia addita, vel aliqua comprobata. Nobis quidem, *Lindenbrogii* sententia a *Spelmanniana*, in fundamento non differre, videtur.*

\* Conuenientiam linguae veteris Anglo-Saxonicae, cum prisco-

prischorum Frisiorum idiomate, egregie docuit, &c, hoc argu-  
mento vsus, origines Anglo-Saxonum a Frisiis repetit, *Paul.*  
*CYPRAEVS Cap. II. de lingua Saxon. Cimbr.* & *Anglorum pri-*  
*scia*, rarissimi omnino libelli, *de origine, nomine, prisca sedibus,*  
*lingua prisca, moribus antiquissimis, rebus gestis & migrationi-*  
*bis, Cimbrorum, Vitarum & Anglorum, Hafn. 1632. in 4.* qui,  
nostra cura multis illustratus notis, propediem in lucem iterum  
prodibit.

(ff) *HEROLDVS & LINDENBROG.* ac hic quidem, in Cod.  
LL. antiqu. pag. 493. t. 4. n. III. legit, III. solidos.

(gg) Idem, & hic pariter, l. 1. c. c. n. IV. legunt, tribus  
solidis.

(hh) *Lindenbrog.* l. c. n. VI. (*Canem, custodem pecoris,*  
*solid. componat*) addit: *Trans Laubachi canem acceptorem, VIII,*  
*barimbraccum XII. custodem pecorum vel domus III. qui lupum*  
*lacerat, VIII. sol. componat.* Vocem *Laubachi*, in *Gloss.* adiecto,  
h. v. p. 1422. a. per fluuii nomen interpretatur, sed non addit  
ipsius situm. In Frisiis tamen occurere, facile est coniicere.  
Caeterae voces omnes, supra iam a nobis sunt explicatae.

## §. IX.

Expositis itaque poenis, quas a maioribus  
nostris, in ferarum & vniuersi apparatus venato-  
rii fures, statutas deprehendere licuit: ordinem  
nunc quoque iudiciorum capitalium, in hoc cri-  
mine adhibitorum, paucis (a) persequamur, ar-  
gumenti indeoles postulare omnino videtur. Eo-  
rum autem eadem ratio fuit, ac illorum, quae in  
omni furti genere in vsu esse coepit. Hanc igit-  
ter explicemus, necesse erit. Commodo tamen  
intelligi non poterit, nisi quaedam de vniuerso,  
verita-

veritatem criminum patratorum inuestigandi, il-  
laque dein puniendi, modo, secundum maiorum  
nostrorum leges, praemittamus. Constat autem  
inter omnes patriae antiquitatum cultores, Vete-  
res Germanos breuissimo processu, vt ita dicam,  
ciuili & criminali vlos fuisse, ac vtroque quidem,  
maximam partem, accusatorio. Quod ad hunc  
itaque attinet, reus vel in facto ipso deprehensus,  
aut delictum accusatum confessus fuerat, vel nec  
apprehensus, nec confessus aderat. Priori casu,  
sententia iudicis statim, & hanc executio e vesti-  
gio sequebatur (b). Posteriori autem index &  
accusatur, cum indicato & accusato, si non aliis  
instructus erat mediis, veritatem obiecti criminis  
dare probatam, vt plurimum, necesse habebat,  
iudiciis diuinis (c) & inprimis duello, (d) decer-  
tare. Vietus statim condemnatus, impositam e  
vestigio subibat poenam, in crimen, de cuius cer-  
titudine controuersia erat, statutam (e). Pro-  
cessus contra, quem dicunt inquisitionis, hodie  
adeo frequens, valde rarus erat (f).

(a) In limine statim monere, necesse iudicauimus, nobis hic  
non constitutum esse, vniuersum argumentum, *de vario, in cri-  
minibus inuestigandis & puniendis, procedendi modo, apud maio-  
res noistros vstante*, exhaustire, sed ea tantum afferre, quae nobis,  
instituti nostri illustrationi, maxime necessaria visa sunt.

(b) Extant desuper in legibus Vet. Germ. expressae, si ita  
dicere fas est, dispositiones, e. g. in *L. L. Langob. ex constitutio-*  
*ne*

ne *Luitbrandi regis*, Libr. I. Tit. XXV. no. 52. ap. *Lindenbrog.* pag. 568. & no. 59. ibid. pag. 570. Morem hunc diu in Germania seruatum, testatur, eiusmodi celerrimae executionis, *Budstadii Sac. XV.* peractae, exemplum, memoratum a *Celeb. MULLETO*, in *Annal. Saxon.* ad An. 1470. pag. 40.

(c) Iudicia eiusmodi, quae dicebantur diuina, singulari eaque egregia diff. illustravit, *Celeb. Iob. Christoph. BECMANNVS*, quae extat, *Vol. vno Diff. illius (Franc. ad Viadr. 684. 4.) No. 1.* Copiose de illis quoque egerunt, *STRVV*, in *Hist. Iur. c. IX. §. V. p. 378. sqq. BAYER*, in *Diff. de Natura praeiudiciorum in iureiurando*, Cap. II. §. 24. seq. & *Henr. SPELMANN*, in *Archaeol. v. Iudicium Dei*, pag. 391. 396. ed. *Lond. 1626. fol.*

(d) Ita Henrici II. Imp. temporibus, duelli adhuc, in furti delicto, usum comprobat *DITMARVS Merseb. Lib. VI.* vbi, conueniunt, inquit, *ibidem fures & a congreidentibus deuicti, laqueo suspenduntur.*

(e) Forma processus, quo prisca Germania in criminibus usitata fuit, omnium optime repraesentat, quae exinde ad nos adhuc peruenit, iudicij capitalis, (*Halß-Gericht*) dicti, ratio.

(f) Apparent quidem quaedam vestigia processus inquisitorii, in legibus antiquorum Germanorum, in primis, *Wisigotorum*, quae tamen & ad processum accusatorium, quadam ratione, referri possunt.

### §. X.

Consideratum generatim in criminibus procedendi modum, apud maiores nostros usitatum, excipit nunc, qui in furto, & ferarum quoque, ac apparatus venatorii, exhibitus fuit. Iustum quidem ac apte inter se dispositum ordinem, et si hic offendere non liceat; (a) omnes tamen dispersi, per leges priscae Germaniae, casus, sequenti-

quentibus fundamentis niti, & ad ea trahi posse  
videntur. *Denunciatione* 1) scilicet, a laeso iudi-  
ci facienda, *iudicisque tunc officio*, 2) *rei accusa-  
tione* & *ulteriori processus prosecutione*, 3) *ipsius  
furis comprehensione*, & *necessariis circa illam ob-  
seruandis mediis*, 4) denique *inquisitione per tor-  
turam*, vti vulgo vocant (b). Hunc itaque or-  
dinem seruaturi, dispersos casus suo loco collo-  
cabimus. De primo momento, *denunciatione ni-  
mirum, iudicisque officio, LL. Wisigoth. Libr. VII.  
Tit. II. c. 1. (c)* ita disponunt. *Qui rem furti-  
uam requirit, quid quaerat, iudici occulte debet ex-  
ponere, vt ostendat per manifesta signa, quid per-  
didit, ne veritas ignoretur, si non euidentia signa  
monstrauerit.* Cum hac sanctione egregie con-  
spirant, *LL. Langob. Lib. I. Tit. XXV. c. 55. (d)*  
*Si quis homo caballum perdiderit, aut aliam qua-  
lempcumque rem, vadat ad iudicem, qui in loco pos-  
tus est, vbi ipsum furtum factum fuerit, & dicat  
ei omnia, qualiter ei contigerit, & si iudex negle-  
ctum fecerit ad inquirendum ipsum furem, compon-  
nat de suo proprio. Et si dixerit, quod neglectum  
non fecisset, praebeat sacramentum, quod ad inqui-  
rendum neglectum non fecisset, nisi quod conuenire  
non potuisset. Et si iurauerit, sit absolutus: quod  
si iurare ausus non fuerit, componat ipsum furtum  
de suo proprio.* Huc & pertinere videtur, sequens

E 2

casus,

casus, in LL. *Wisigoth.* expressus, nimirum Libr. VII. Tit. I. c. 4. (e). Si quis furem prodiderit, si tamen furti ipsius conscius non est, non plus pro indicio accipiat, nisi quantum res valuerit, quae furtim ablata est, si tamen domino rei compositio fuerit exoluta. Sin autem talis sit fortasse conditio, ut necesse sit illum, qui fur probatur, occidi, & nihil de eius facultatibus inueniat, aut si seruus fuerit, & dominus serui substantiam eius suae vindicet potestati, & in compositionem, qui perdididerit res suas, nihil fuerit consecutus: tunc tertiam partem, de reperta re, pro mercede indicii, consequatur, & delator nihil amplius iam requirat. His omnibus sequentem LL. *Wisigoth.* sanctionem, quae Libr. VII. Tit. I. c. 2. (f) extat, adiicere licet. Si Seruus sine conscientia domini sui aliquid indicauerit, aliter ei non credatur, nisi dominus pro persona serui testimonio suo dixerit esse credendum, de honestate mentis eius proferens testimonium verum.

(a) Inter omnes Germanici sanguinis gentes, *Wisigothi* etiam pro more suo, copiosissimi fuere, in adornando processu criminali. Reliqui omnes, exceptis *Langobardis*, nihil plane de hoc processu, in ipsorum legibus disposuere.

(b) Vid. infra §. 12. not. f.

(c) Ap. *Lindenbr. Cod. Leg. Ant.* pag. 140.

(d) *Ibid.* pag. 569.

(e) *Ibid.* pag. 141.

(f) *Ibid.* pag. 141.

## §. XI.

## §. XI.

A delatione & iudicis circa illam officio,  
progredimur ad accusationem, de qua notari me-  
rentur, quae sequuntur. De illa ergo ita statuunt  
*LL. Wisigoth. Libr. VII. Tit. I. c. 5.* (a) *Quicun-  
que accusatur in criminе, id est, beneficio, male-  
ficio, furto, aut quibuscumque factis illicitis, accu-  
sator eius concurrat ad comitem (b) ciuitatis, vel  
iudicem, in cuius territorio est constitutus: vt i-  
psi secundum legem causam discussiant, & cum co-  
gnoverint crimen admissum, reum comes & iudex  
comprehendant. Et, si capitalia non admiserit,  
tunc ei, cui reus est, aut componere compellatur,  
aut si non habuerit, vnde componat, seruitur stra-  
datur: si vero innocens approbatur, de iudicio se-  
curus abscedat. Ille vero, qui accusauit, & poenam  
& damna suscipiat, quae debuit pati accusatus; si de  
crimine fuisse conuictus. Comes tamen aut iudex  
nullum discussere solus praesumat, ne aliquod possit  
esse collidium, (c) vt innocens fortasse tormenta  
sustineat. Prius tamen poenae non subiaceat, quam  
aut, sub praesentia iudicium, manifestis probatio-  
nibus, arguatur, aut certe, sicut in aliis legibus  
continetur, eum accusator inscribat (\*), & sic in  
praesentia iudicium superius nominatorum, quaesti-  
onis agitetur examen. Huc pertinere quoque vi-  
detur, sequens, in *LL. Lang. Libr. I. Tit. XXV.**

E 3

c. 76.

c. 76. (d) expressus casus: *Si quis liber homo de furto, accusatus fuerit, & res proprias habuerit in malo, (e) ad praesentiam comitis se arhamiet, (f)*  
*& si res non habuerit, fideiussorem donet, (g) qui eum arhamiet, & in palatium (h) adduci faciat.*  
*Et liceat ei in prima vice, per sacramentum, secundum legem, se idoniare, (i) si potuerit; si alia vice duo vel tres eum de furto accusauerint, liceat ei contra unum ex his, cum scuto & fuste, in campo contendere.* Quod si seruus de furto accusatus fuerit, dominus eius pro eo emendet, (k) aut cum sacramento excuset, se tale furtum perpetratum non habere, propter quod ad supplicium tradi debeat.  
*Nec denique dissimilis est ille casus, qui in iisdem legibus, c. 51. (l) continetur, nimirum: Si quis alium de furto pulsauerit (m) & per pugnam eum vicerit, aut forte, per districcionem (n) a publico factam, manifestauerit, & compositio facta fuerit, & postea ipsum furtum apud alium hominem inuentum fuerit, & certa veritas apparuerit, quod ipse, qui prius composuerat, rem ipsam non furatus fuerit ab eo, omnia quidquid ipse composuerat, recipiat ab eo, cui composuerat, & ipse componat, apud quem furtum inuentum fuerit. Nam si aliiquid per sacramentum suum dederit, habeat cui dederit. Nam si certa veritas non apparuerit, quod alter homo furtum ipsum non fecisset, & per*

*per distinctionem manifestauerit, & composuerit, babeat sibi ipsam compositionem, cui compo-*

*suerit.*

(a) Ap. Lindenbr. *Cod. Leg. Ant.* pag. 141.

(b) Nobilissimum omnino, de Comitibus Imp. Rom. Germ. eorumque officio ac dignitate, argumentum, tam late patet, ut illud hic explicare, aut attingere saltem, instituti nostri ratio, nullo modo, ferre videatur. Praeter innumerum autem scriptorum numerum, qui data, vt aiunt, opera, de eo egerunt, Comitum origines, officia, dignitates, variaque genera, egregie plane illustrauit, *Celeb. Iob. Frider. PFEFFINGER*, in *Vitriario Illustrato*, Tom. II. Lib. I. Tit. XVII. de *Comitibus & Baronibus*, pag. 567-763. Conferri quoque hic meretur STRVV. in *Hist. Iur. C. VIII. f. XI.* p. 703. n. \*\*\* & in *Synt. Hist. Germ. Diff. VI. f. XVIII.* p. 167. seq.

(c) Colludii vocabulo, hic nihil aliud, quam arcana cum adversa parte conspiratio, Germ. *Heimlich Verständniß*, denotari omnino videtur.

(\*) *Inscribere* hic loci idem est, ac nomen deferre, siue accusare, vid. Du *Cange* in *Gloss.* hac voce, Vol. II. pag. 90, ed. Franc. ad Moen. 1710. in fol. & Lindenbr. *Gloss. Cod. Leg. Ant.* adiect. p. 1415. b. v. *inscriptio*.

(d) Ap. Lindenbr. p. 572.

(e) Mali vel Malli voce, veteres Germanicae originis gentes, modo ipsum iudicium, modo eius locum, aliquando etiam iudicij terminum, aut conuentum publicum, in quo maiores causae discepabantur, notare solebant. Vid. Du *Fresne Glossar.* hac voce, Tom. II p. 368. edit. modo excitatae, *Celeb. Eccard. ad Leg. Sal.* p. 6. 11. & pag. 88. qui priori loco probare nititur, verbum *Mabstadt*, in Ordin. Criminall. Caroli V. §. 215. occurrens, ab huiuscemodi malis originem suam trahere, porro Cl. *Joh. Guil. HOFFMANNI* elegantissimam *Dissertat. de Modo iudicia priuata exercendi, apud veteres Germanos*, (Franc. ad *Viadr.* 1736. in 4) §. II. n. a. p. 3. vbi alia vocabula, quibus iudicia apud maiores nostros indicantur, egregie explicata, leguntur: Vniuersa quoque

que iudiciorum veter. indoles in hac dissertatione eruditæ exposita deprehenditur.

(f) *Arbamire*, siue arhamiare, adramire, adhramire, solen-  
niter profiteri, arramire, significat, cauere, promittere, iurare,  
& obligare se se coram iudice, ad aliquid faciendum, v. Du  
FRESNE Gloss. Tom. I. p. 67. ed. supra excitatae, LINDENBROG.  
in Gloss. voce *Adrbamire*, p. 1349. a. Hanc vocem ab obso-  
leto Gallico, arramir, i.e. iurare &c. derivat Henr. SPELMANN,  
in Archaeol. p. 21. a. voc. *adrhamire* &c.

(g) i. e. proferat.

(h) Aedificium erat publicum, in quo Rex vel Dux, aut  
Comes, populo iura dabant, v. Du Fresne, hac voce, Tom. III.  
p. 91. seq.

(i) *Idoniare*, seu idoneum facere, notat, sacramento se se  
ab imposito crimine purgare & exuere. Vid. Du Fresne h. v.  
Tom. II. pag. 10. LINDENBROG. pag. 1413. a. Henr. SPELMANN.  
in Archaeol. voce *idoneare*, p. 371. b. ed. Lond. 1626. fol.

(k) *Emendare* idem est, ac restaurare, reparare, vel mul-  
tam inferre & soluere, v. Du Fresne Tom. II. p. 238. LIN-  
DENBROG. in Gloss. pag. 1393. b. SPELMANN. l. c. pag. 240. b.  
voc. *emenda*.

(l) LIND. in Codice Leg. Ant. p. 568.

(m) *Pulsare* hoc loco significat, in ius vocare, v. Du FRES-  
NE, Tom. III. pag. 467. LINDENBROG. in Gloss. pag. 1462. a. & b.

(n) *Distringere* poenam vel multam, publice a iudice in-  
fligunt, hic notare viderit, v. Du FRESNE, hac voce, Tom. II.  
pag. 144. 145. & LINDENBROG. in Gloss. voce, *distringere*, p.  
1389. b.

## §. XII.

Quae restant adhuc huius, si ita dicere fas  
est, processus capita, quaeque furis *comprehen-  
sione* & *inquisitione* per *tormenta*, absoluuntur,  
iam veniunt paucis explicanda. Ad priorem se-  
quentes referri possunt sanctiones, nimirum LL.  
*Wifigoth.*

Wisigoth. Libr. VII. Tit. II. c. 14. (a). *Fur si captus fuerit, perducatur ad iudicem, & ibid. c. 22.*  
(b). *Si quis furem aut quemcunque reum comprehendenterit, statim perducat ad iudicem: ceterum suae domui amplius, quam una die ac nocte, eum retinere non audeat.* *Si quis contra hoc fecerit, V. solidos, pro sola praesumtione, (c) iudici cogatur exsoluere. Et si seruus hoc, sine domini sui conscientia, fecerit, flagella suscipiat: si vero seruus cum domini voluntate id commiserit, compositio redundet ad dominum.* *Ita ut si honestioris loci persona est, solidos iudici cogatur exsoluere: ex quibus medietatem sibi iudex usurpet, aliam vero medietatem illi det, qui damnum noscitur pertulisse.* In LL. Langob. Lib. I. Tit. XXV. c. 70. (d) Rex Iuitprandus ita desuper statuit: *Si quis furem vel latronem comprehendenterit, & eum indemnem dimiserit, neque illum ad praesentiam iudicis, aut comitis, vel loci seruatoris, qui missus comitis est, adduxerit, & de hoc facto, siue de hac nequitia, posthac in poenitentia iudicis conuictus fuerit, ipsius damni existimatione, pro qua fur vel latro comprehensus est, componere cogatur.* Agmen tandem claudat inquisitio per torturam, de qua sequentia leguntur in LL. Wisigoth. Lib. VII. Tit. I. c. 1. (e) *Iudex reum, qui accusatur antea non torqueat (f), quam ille, qui accusat, si indicem praesentare noluerit, se, per placitum*

citum (g) trium testium roboratione firmatum, ea conditione constringat, (h) ut si is, qui accusatus est, manifestis indiciiis innocens comprobatur, ipse poenam, quam alii intendit, excipiat: & tamen postquam innocentia patuerit accusati, accusator a iudice distringatur, (i) ut pro agnoscenda rei veritate, indicem praesentet inuitus. Quem si praesentare nequiverit, saltem quis sit, ex nomine manifestet, ut districtus a iudice vera conuincat esse, quae indicauit. Quod si eum ipse index per alicuius potentis defensionem aut patrocinium, seu metu regiae potestatis discussioni suae praesentare non potuerit, ad regiam id cognitionem, si prope est, deferre procuret: si autem longe est, Episcopo vel iudici renuntiet, vt eorum maior auctoritas, hunc iudicio faciat praesentari. Quod si neglexerit nuntiare, de propria iudicis facultate, omne quod periit, iussu principis vel episcopi atque iudicis querelanti restituatur. Index autem, si non potuerit probare, quod indicauit, pro omni satisfactione teneatur obnoxius. Quod si rei causa est: si ingenuus est, cum infamia nouecuplam, serus vero sexcuplam compositionem exsoluat, & centum insuper flagella idem servus accipiat. Quod si idem ingenuus unde componat non habuerit, & ei, quem infamare tentauit, & ei, cui mentitus est, pariter seruiturus tradatur. Seruus vero, si compositionem pro se exsoluere non potuerit,

*potuerit, aut si noluerit, pro eo satisfacere dominus seruum pro reatu tradere non moretur,*

(a) Ap. LINDENBROG. Cod. Leg. Ant. pag. 145.

(b) IBID. pag. 147.

(c) Praesumtio hic notat, actionem iniustam, invasionem vel usurpationem, v. DU FRESNE, Tom. III. p. 439. 440. LIN DENBROG. in *Glossar.* voce, *praesumtores* pag. 1460. a.

(d) Ap. LINDENBROG. in *Codice Leg. Ant.* pag. 571.

(e) IBID. pag. 40.

(f) Torturae, ut aiunt, usus, quem multi adeo abominandum censet, a Romanis, ad Wisigothos & reliquos Germanicas originis populos, peruenisse videtur. Vide quos, de eius moralitate, recenset Scriptores, STRYV. in *Hist. Iur.* c. IX. §. XXVI. p. 809. 810. n. \*\*.

(g) Placitum saepissime notat publicum conuentum, omnium quoque totius regni ordinum, vid. DU FRESNE, Tom. III. pag. 325. seq. LINDENBROG. in *Glossar.* pag. 1456. b. Interdum vero & item intentatam, DU FRESNE *ibid.* pag. 330. & rarius adhuc pactum, quod hic potissimum subintelligi videtur. ID. *ibid.* p. 331.

(h) Constringere in hoc loco idem est, ac se se obligare. Alias usurpatur pro coercere vel citare, v. HERR. SPELMANNI Archael. voc. *disstringere* p. 215. a. & b. edit. Lond. 1626. fol.

(i) Distringere dicitur, cum dominus in foedo, magistratus in suo territorio, bona (ceu pignus & vadim) alicuius prendat; ut sic eum ad debitum quidquam praestandum coerceat, sunt verba Henr. SPELMANNI, hac voce, l.c. Vide etiam DU FRESNE *Gloss.* Tom. II. pag. 143. 144. & LINDENBR. in *Gloss.* pag. 1389. b.

### §. XIII.

Absoluta ergo & iudiciorum capitalium infures tam generatim quam ferarum speciatim,

F 2

in-

indole, qualem veterum Germanorum leges exhibent, vltierius progredi, & sequentium quoque temporum habere rationem, quem nobis proposuimus, instituti nostri scopus prohibere omnino videtur. Quare pedem hic figimus, nulli dubitantes, praealentem nostrum laborem aliquam tamen vtilitatem allaturum, quamuis nec eruditio-  
nis, nec lectionis copia, aut verborum ornatus,  
& peculiaris iudicij vis, ipsum ex merito  
queant commendare.

## F I N I S.



III X

IOAN.

IOAN. GVIL. DE GOEBEL  
ICTI  
DE  
**IVRE VENANDI**  
**DIATRIBA**

JOAN. GALLVS DE GOTTER

1571

ad

IARRE VENANDI  
DIATRIBA



*Q. D. B. V.*

*§. I.*

**V**enatio gentibus bellicae gloriae cupidis  
(a) ex omni tempore in amoribus fuit.  
Potissimum autem Regibus, (b) aut in  
Regni aliquam spem magnam natis: ut  
& qui vel dignitate vel prosapia (c) ipsis proximi  
erant, venando peragentes silvas & campos,  
belli incommodis assuescere, atque debitum cor-  
pori robur acquirere (d) operam dederunt.

(a) De Germanis veteribus *IULIUS CÆSAR* de *bello Galli-*  
*co lib. 6. c. 21. p. m. 159.* ait. *Vita omnis in venationibus, atque*  
*in studiis rei militaris consistit, & de Suevis lib. 4. c. 1. multum*  
*sunt in venatibus.* *Eod. Lib. c. 26. 27. 28. postquam de venatu*  
*boui, cerui figuram habentis, aleis & vrorum in Hercynia sil-*  
*ua egit, addit, hoc in labore indurant adolescentes, atque hoc ge-*  
*nere venationis exercentur.* *TACITVS c. XV. de moribus Germa-*  
*norum, Germanos non multum venatibus deditos fuisse, videtur*  
*affirmare: Sed particula negativa, nescio cuius incuria, aut im-*  
*peritia in textu repetita, est expungenda, quae itidem est sen-*  
*tentia LIPSII pag. 341. edit. Plant. De Fennis, per quos Lappo-*  
*nes aliqui intelligendos putant, id. Auctor l.c. c. 46. inquit, idem-*  
*que venatus viros pariter ac foeminas alit. Conradus CELTES*  
*de Maioribus nostris canit:*

*Com.*

*Commune his studium venari, equitare, vagari,  
Atque suum varias vicium quaeſuisse per artes.*

Conf. ALTHAMMERI scholia in *Cornelium TACITVM de morib.  
Germ.* apud SCHARDIVM p. m. 14. De Francis inspiciendus est  
AIMOINVS in fine l. 2. p. m. 296. apud FREHERVM, aliquie  
rerum Francicarum scriptores.

(b) Parthorum Reges frequenti indulgebant venatui, unde Vonones, Romae educatus, raro venatu libi popularium suorum indignationem attrahebat. TACITVS ann. 2. c. 2. Et cum Reges venatum omitterent, permagni luctus & tristitiae indicum erat. Sic Germanico Caſare, fortassis Tiberii artibus, in ipſo aetatis flore vitam ponente, Rex regum Megistanus ab exercitatione venandi & coniunctu abstinuit. SVETONIVS in *Caligula* c. 5. p. m. 370. Cyrus Persarum Rex venatum impense amabat, vt testis est XENOPHON, de Paedia Cyri p. m. 3. Reges Galliae & Angliae ultra modum venatiomibus aliquando fuerunt addicti, Du CANGE, gloss. t. 2. p. m. 486. De Carolo M. tradit Eginhardus, de vita ipsius (edit. Lips. 1616. 4.) p. 27. Exercitatus affidue equitando & venando, quod illi genitilitum erat. In Annalibus rerum a Ludou. Pio geltarum, ap. REVBERVM p. 62. dicitur, imperatorem ad venationem in Arduennam profectum, quae, vt dicebant, ultra solitum ei prosperrime cessit. ERMOLDVS NIGELLVS in Carmine Elegiaco, Libr. IV. p. 72. Tom. II. Scriptor. Rer. Ital. MVRATORII, de eodem imperatore ita canit:

*Venatum ire parat Francique solentes,  
Et secum Heroldum (Danorum Regem) caſar abire iubet,  
Insula propter adeſt Rheni quoque iurgite cincta,  
Quo viret herba recens est nemus umbroſum,  
Illuc quippe feræ multæ variaeque fuere,  
Et late silvis turba iacebat iners,  
Hanc quoque complerunt venanturi binc inde manipuli,  
Atque molosorum magna caterua ſimul,  
Caſar veloci residens terit arua caballo;  
Wito pharetratus cui comes ibat equo.*

Per pharetratum hic haud dubie intelligitur venationi praefectus, qui erat inter aulae Franciae officiales, HINC M. lib. de ord. palarii eiusdem

eiudem temporis & falconarium memorat. A Carolo M. inter suos recensentur ministeriales, falconarii & venatores, in Ep. ad filium Pipinum, quae extat in Leg. Long. Tom. I. P. II. Script. Ital. MVRATORII p. 112. Quod reliquum, videntur verba illa; *Caesar veloci &c. suadere, aeo Carolino iam tum quendam venationis celerioris, quam Parforce-lachr vocant, fuisse vsum.* De Wilhelmo Conquestore hoc etiam testatur *Chronicon Halberstadiense*, apud LEIBN. t. 2. Script. B. p. 127. qui tanta venandi libidine correptus erat, vt quo foresta noua in pago Hantonensi institui possent, villas 26 (36) & totidem Ecclesias Parochiales delevisse dicitur, Gualterus Mapaeus, apud CAMDENVM, in *Bri-tannia*. Bronton apud DV CANGE p. 468. t. m. SPELMANNI glossarium p. m. 239. Hinc sunt, qui putant, Guillelmum Rufum patris more ultra modum feras persequentem, ex diuina yltione, in foresta noua (secundum istius temporis stilum) sagitta extinctum esse. *Chron. Rothomagense*, apud LABB. in biblioth. manusc. tom. I. p. m. 367. MATH. PARIS p. m. 53. SARISBER. lib. 1. policr. c. 4. Non quidem DIONI CHRYSOSTOMO, Orat. III. apud BRISSONIVM, de Regno Persarum lib. I. p. m. 109. principibus venandi studium, vt pūrpurae apte conveniens commendanti, obnitor, & cum PLINIO, in *Panegyri*, inter Traiani virtutes ipsum saepe lustrasse saltus, cubilibus excussisse feras, aequo referam animo; attamen suadendum puto, vt sit modus in rebus, ne Reipublicae curiae damnum patiantur. Antiochus, studio prosequendi feram aliquam, ab amicis & seruis aberrans, in tugurio cibum ignotus sumens, nimium venandi studium a rustico, vt rebus regni admodum noxiom, Regi vitio verti, inaudiuit. PLVTARCHVS in *apophtegmat.* p. m. 40. CONRING. in annotat. ad MACHIAVELLI Princ. c. 15. Tom. I. *Conringian.* p. 1044. Aurea sunt in constit. Honor. & Theodosii in Cod. Theod. lib. XV. tit. XI. *Salus nostrorum prouincialium saluti nostrae necessario praeponatur.* Arduum enim est cuncta regendi onus. Saepe ferarum vitae insidiantes, sibi mortem appropararunt. KLOCK. de aerario lib. 2. c. 28. p. m. 925. *La bibliothéque du droit françois*, sub vocab. *la Chasse*. Sic Ernestus Dux Saxonie in venatione perit, *Chron. Quedlenburgense*, apud. Leibn. t. 2. p. m. 290.

G

(c) Vena.

(c) Venatio Nobilium insigne & exercitium. Censura Duardi Nonii, apud SCHOTTVM in Hispania illustrata t. 2. p. m. 1234. Nobilium, Regi Persarum in corporis custodiam destinatorum, media pars Regem, venatum euntem comitabatur, ubi Rex, quemadmodum in bello, se ipsis Ducebat praestabat. XENOPH. lib. I. p. m. 3.

(d) XENOPH. l. c. in fine Iac. SPIEGEL in n. ad Libr. II. Austriad. RICH. BARTOLINI ap. REVB. p. 500. CONRING. Diff. de Rep. Ant. Vett. Germ. Conringian. Tom. I. p. 15. MACHIAVELLI Princ. c. 14. Tom. II. Conringian. p. 1043. Perche la caccia, inquit ille Auctor lib. 3. c. 39. di discorsi, insegnava infinite cose, che sono nella guerra necessarie. Iungere adhuc licet HORATIVM, Lib. I. Od. I. ita canentem:

- - - Manet sub Iove frigido  
Venator, tenevae coniugis immemor;  
Seu visa est catulis cervua fidelibus,  
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Ex duro enim viuendi genere, & consuetudine, in silua dolores preferendi, ut loquitur Homerus, robur oritur.

## §. II.

Venatio est ius, (a) fera (b) occupandi (c) animalia (d).

(a) i.e. qualitas moralis personae competens, ad iuste aliquid habendum vel agendum, GROTIUS de I.B. & P. c. 1. §. 10.

(b) Mihi partum curiae sunt, in quibus alii tam operose desudant, venatio oppressiva, adulatoria & arenaria. Sebastianus MEDICES, in tractatu de venatione, piscat. & aucupio, in tractatu tractatum. t. 17. p. 396. vid. EIBEN de iure venandi, p. 787. opp. Ad censem harum significationum pertinet, quando ap. Scipionem CLARAMONTIVM, Libr. III. c. 7. Conringian. Tom. III. p. 158. capture hominum, ad PLATONIS de LL. VII. & ARISTOTELIS exemplum, venatus dicitur. ARISTOTEL. Politic. Lib. I. c. V.

I. c. V. f. 8. Tom. III. Conringian. p. 507. v. & CONRINGII  
*Diss. de Civitate noua*, ibid. p. 741. & plura, apud BRISSONIVM,  
 de V. S. & SCHVLTING. Iur. Prud. Ante Iust. p. 773. Arenari-  
 am, imperante constantino M. iam fuisse sublatam venationem,  
 ex L. I. C. de Gladiat. penitus tollendis, constat. Huic canoni-  
 ci iuris prohibitio, c. non est. f. bis itaque, accessit. Sunt, qui  
 putant, arenariam istam venationem, quae Romanis tantopere  
 placet, Hispanorum festiuae pugnae cum tauris originem,  
 dedisse. Alii hanc Gothis, alii Hispaniae indigenis, alii demum  
 Afris Hispaniae inuidentibus, & magnam eius partem satis diu  
 usurpantibus adscribunt, quae opinio verosimilior videtur. v.  
*Du Combat des Tauraux dans le Mercure Espagnol.* p. 42. 43.  
*Relation du Voyaye d' Espagne* Tom. III. p. 23. seq. Defini-  
 tio enim mea rem a conceptibus aequiuocis satis purgat. Et  
 licet ea tam laxa sit, vt venationi stricte datae, piscationi &  
 aucupio attribui possit: Mihi tamen iam potissimum sermo erit,  
 de iure persequendi bestias terrestres.

(c) i. e. sub suum redigendi dominium.

(d) Ex his constat, ius venandi a iure foresti, vt angustius  
 a latiori esse distinctum. Ius foresti etiam ius constituendi sal-  
 tuarios, & alias officiales forestales, prohibendi, ne arbores ex-  
 scindantur, conficiendi ordinationes forestales, ius pascendi, im-  
 mittendi sues tempore glandium, aliaque, quae vide apud WEN-  
 NERVM, sub voce *Forstrecht* p. 124. seqq. solet complecti. Bi-  
 denbach in nobilib. quaest. quaest. 15. Vid. Dn. STISSERI, Consil.  
 regi Prussiaci, Historia venatorio-forestalis, c. VI. nec non Ru-  
 dolphi Augusti & Anton. Ulrici Duc. Brunsu. Lüneb. *Ordina-*  
*tio Forestalis*, de an. 1686. & *Constitutio*, quomodo haec in *Comi-*  
*tatu Blanckenburgensi* obseruari debeat, de an. 1693. Christi-  
 ani porro Ludouici *Ordinatio lignaria*, de an. 1665. & quae ei, in Corpore Constitut. Cellens. alia huius argumenti adhaerent.  
 Adde varias, quae in FRITSCHI *Corpo Venatorio Forestali* &  
 in STISSERI modo laudata Historia conspicuntur, Ordinatio-  
 nes. Saepius includit ius venandi, a quo tamen interdum &  
 ratione subiecti est distinctum, ita vt, qui habet ius foresti, non  
 habeat ius venandi, & e contra, qui habet ius venandi, non ha-  
 bet

bet ius foresti, vt apparet ex causa Schwäbischen Gemeinde contra Hans von Reichberg, apud RVLAND, de Commiss. part. 4. lib. 2. p. m. 74. In lato haud dubie significatu, ita vt etiam sub se ius venandi contineat, vox *Foresti* accipitur, quando Fridericus I. Henrico Leoni donat Forestum in montanis Harz, MADER. in Antiquitat. Brunsuic. p. 119. Saepe dubium est, quam *Foresti* vox habeat significationem. Exemplo nobis iam ex infinitis propemodum chartis, tantum sit, Diploma Ludou. Pii, quo monasterio S. Mariae & S. Petri, ad Cenomanicam vrbern, inter alia donat villam, quae Brogilus, sive noua villa dicebatur, *cum forestibus & villulis, sive omnibus ad se pertinentibus.* BALVIVS Lib. III. Miscellan. p. 40. Aliqui suspicantur, si forestum cum omni sua integritate donatur, ius venandi etiam sub-intelligendum esse, quod tamen non est extra ambiguum. Sic in charta Chilperici Regis Francorum, quo se monasterio S. Dionysi liberalem exhibet, legitur, *quod in perpetuum circa ipsò sancto loco mansurum esse volemus, ut ipsa foreste nostra Roverito cum omne iure vel termino suo ad integrum una cum supra scripto forestario, Lubecini Histoire de l' Appaye de S. Denys par DOUBLET pag. 689.* Caeterum in plerisque Germaniae territoriis ius foresti a iure venatus esse distinctum, ex eo quoque appareat, quod virumque ius distinctos habeat supremos magistros. Vid. COCC EJI J. P. c. XXIII. §. 50. Oritur hic quaestio, an ille, qui iure foresti gaudet, siluam, in qua alteri ius venandi competit, extirpare, aut ita amputare arbores possit, quo minus ferae ibi amplius latitent. GREMPIVS in Consiliis Tubingensibus, apud BESOLDVM, p. m. 412. & segg. pro affirmativa responder: Sed rationes dubitandi, quas pro negativa afferit, maximam partem fortiores sunt rationibus eius decidendi pro affirmativa. Nam suae quidem rei quisque moderator & arbiter, l. 21. C. mandati, scilicet in qua plenum habet dominium: At si qua in re alteri est ius quaesitum, e. c. servitus vsufructus, vt in venatione, hoc axioma limitationem habet. Dominus semiplenus, illa nec abuti, nec vi potest, quantum illud vergit in praeiudicium istius, qui in ea re habet ius quaesitum, aut legis, l. 16. ff. de vsufructu §. 2. Instit. de contra.

contrahenda emt. Nam pars ista dominii, quae alteri competit, proprietarium non habet dominum, & sic ea etiam in alterius damnum vti nequit. Nemini inuito ius quaesitum eripi aut inutile reddi potest, l. fin. ff. de paet. l. 53. pr. ff. de iud. l. II. ff. de R. J. §. vlt. Inst. de his, qui sunt sui vel alieni iuris. GABRIEL, lib. 3. concl. 1. p. m. 273. Nec ab ipso Principe l. 4. C. de emancipat. liber. l. 2. §. 10. ff. ne quid in loco publico. l. 40. ff. de administr. & pericul. Tut. Grat. discept. forens. t. 3. cap. 458. n. 23. p. m. 138; nisi hoc publica requirat utilitas, gloss. in l. vlt. C. si contra ius l. 13. ff. comm. praed. GROTIUS de J. B. & P. I. 2. c. XIV. §. 7. 8. & 13. Quae negatiuae obstarre videntur a J. C. Ingolstadiensibus, apud eundem BESOLDVM, Consil. XVI. refelluntur, vide quoque WEHNERVM l. c. p. m. 124. Sic &, si unus iure forestali, alter banno ferino, ut loquuntur, in eadem vtuntur silua, ille quidem ius saginandi porcos habet, quoniam omnes fructus arborum ad eum pertinent, nihilominus tot relinquendae sunt feris glandes, ut ex eis nutriti, imo saginari queant. Nam nemini ius suum quaesitum, ut monitum, per alterum inutile reddi debet, & qui habet principale, etiam habeat minus principale, quod cum eo necessario cohaeret, necesse est.

### §. III.

Venatio diuiditur in superiorem (a) & inferiorem. (b) Vtriusque speciei aliquando datur conuenatio *Koppel-Jacht*, quae interdum in alieno fundo, iure seruitutis, interdum iure familiaritatis competit. (\*) Inter species venatus, a modo concedendi aut venandi differentiam habentes, referuntur quoque venationes praecariae *Bestand und Gnaden-Jachten*, (\*\*) nec non venationes cum insigni strepitu coniunctae,

G 3

Klap-

*Klapper-Jachten, (\*\*\* quibus, vt aliqui putant,  
recenter accessit die Par-Force-Jacht. (\*\*\*\*)*

(a) Hohe Jacht, Haupt-Wildbahn, Haupt-Wildfuhr, gross  
Waldewerk, schwarz und roth Wildprett, V. MEISCHNER decif.  
2. part. 2. tit. 1. SPEIDELII *Speculum*, sub jagen, p.m. 623. Sunt,  
qui minus recte putant, ante seculum XVI. nulla venatus in  
maiorem & minorem extare vestigia. In Diplomate Otton. I.  
de Foresto in Thrente, apud HEDAM in Hist. Ultrai. p. 83. legitur,  
*vt nullus Comitum aliorumne hominum in pago Forestensi, qui est  
in Comitatu Euerbardi, cervos, virgos, capreas, apros, bestias in-  
super, quae Teuronica lingua Elo aut Scb. lo appellantur, venari  
absque praelibatae Cathedrae Praesulis permitta praesumat.* Volu-  
mus quoque firmiterque Regalis editio munificentiae praeципientes  
iubemus, *ut in eodem pago, aut in sylva quae nuncupatur Fulnabo, ac  
vniuersis finibus eius ac praeclaris pagi ad usque adiacentes caeteras  
regiones praedictae Trai. Ecclesiae ius seruetur Forestense, ut nobis  
& nostris.* Idem est in Diplomate Henr. II. apud EVNDEM l.c.  
p. 101. Otto III. pro Spirituali dilectione, quam habuit ad do-  
minum Arnulphum Episcopum, conrulit Ecclesiae Halberstadiensi  
bannum, suique iuris proprietatem, super sex Forestis, quorum  
haec sunt nomina. Hakel, Huy, Valestein, Affa, Elm, Nordi-  
vold. Tradit autem hos Forestos, *vt in suis terminis eorum nul-  
li mortalium liceat, cervum aut cervam, opnum vel suem, vel  
buius generis quicquam capere vel venari, sine eius vel suorum li-  
centia successorum,* & hoc regiae munitionis priuilegio roborauit.  
*Chron. Halberstad. ap. LEIBNITIVM Tom. II. Script. Brunfu.*  
p. 119. Apparet itaque, illo iam tum tempore, inter venatum ma-  
iore & minorem distinctionem factam. Ex Seculo XIII. lucu-  
lentius habemus diploma, ex quo non solum constat, venatum  
maiorem a minori distinctum fuisse, sed & capreolae venationem,  
illo aeuo, maiori accensitam, nec non nobiles in silvis quando-  
que ius venandi feras maiores habuisse. Ego Bochardus, est in  
diplomate, dominus Marleti, notum facio omnibus, quod ego quit-  
taui in perpetuum carissimo domino meo Ludouico regi Fran-  
cum illustri & heredibus suis chaciam, quam habebam ad magnam  
besti-

bestiam, in foresta Erigae, videlicet ad cervum, biebam, porcum, capreolam & damam, & similiter feci quittari a dilecto & fideli meo Roberto de Piffineo, qui dielam chaciam in eadem foresta ad magnam bestiam de me in feodium tenebat, quod ut firmum habeatur & stabile, praesentes literas sigilli mei munimine roborauit.  
 Actum Parisis anno Domini M CCXVI. mensē Maio. Du CHESNE, dans les preuves de l'*Histoire Genealogique de la Maison de Montmorency*, p. 401. Sunt porro, qui existimant, sub schwartz Wildprett, etiam vrsos comprehendunt: At alii peculiarem hic in inuestitura requirunt mentionem. Sic Nobiles Hassiae, die Ried-Esel, specialiter cum vrsorum captione vestiti sunt, KNICHEN p. 408. opp. Quid ad maiorem, quidue ad minorem, aut etiam mediam, quam aliqui faciunt venationem, pertineat, vna definitione exprimi nequit, cum circa hoc argumentum varii sint Germaniae mores, variae vicissitudines, & mutationes, vid. Dom. Consiliarii STISSERI, Viri solide ac eleganter docti, Hist. Venat. c. VII. p. 300. seqq. Id certum, veteri etiam ac recentiori tempore in pescatione aliquando & avium capture, aequa ac in ferarum occupatione, distinctionem illam obtinuisse. Obiter hic monere licet, falsam esse paroemiam, *Wobin der Dicb mit dem Strange, dabin geboeret auch der Hirsch mit dem Fange.* Nam multa sunt Germaniae praedia, quibus iurisdictio criminalis, ut patrimonium quasi adhaeret, quae tamen iure capendi feras maiores destituntur, HERT. Lib. 2. paroemia XVI. Notum est, communiter receptam esse sententiam, sub iure venatus simpliciter concessa, Jagts-Gerechtigkeit, non maiorem, sed minorem intelligi venationem: Attamen huic opinioni non pauca sunt, quae refragari videntur. Beneficia enim Principum, eorumque, qui ad eos proprius accedunt, quam plenissime interpretari debemus, l. 3. ff. de Constit. Princip. GROTIUS de I. B. lib. 2. c. 16. §. 12. n. 1. 2, in quantum illud non in tertii vergit damnum, l. 3. C. de Emancipat. Ius autem persequendi feras maiores specialem require concessione, volunt. KNICHEN de vestit. paſt. part. 2. l. 2. p. m. 45. Non possum inficiari, KNICHENII sententiam in praxi esse receptam, & canonem illum, licet eum non cum THOMASIO interpretetur, ex plerorumque ICTORUM sententia ad regalia

galia non spectare, quippe quae natura sua strictam requirunt interpretationem. Largior ratiocinum hoc satis stringere, & quidem, 1) ex communiori hominum indeole, neminem res suas iactare solere, argumento huius canonis, liberalitatis & concessiones in dubio non late, sed stricte accipiendas esse. Porro iuris Romani themata, ineptam ad decidenda iuris publici, aut etiam priuati Germanis proprii, capita, praebent normam. Neque a moribus Germanorum alienum est, illum, qui venatus maioris gaudet iure, non semper adiunctam habere potestatem venandi feras minores. Vnde sit, hodie in vna eademque silua vni ius venationis superioris, alteri inferioris competere. MEVERER l. 2. c. 3. SPEDELIVS l. c.

(b) Das kleine Weidewerk oder Raßgejaget, darinn sind Hasen, Füchse, Eichhörner, Reb- oder Feldhüner, und alles Feder-Wildprett, Federspiel, Federthier, item Vogelherdt haben, secus eamen mit den Auerhan Falß, und der Raugrbeiß, den Blaufuß, quas inter rarissimas venationum species refert LINDENSPVR. *diff. de Imp. & Famil. orig. SPEDEL. l. c.* Sub venatione minori, quae hodie nec in proprio fundo sine speciali superioris concessione est licita, etiam captatio caprearum & capreolorum includi, *Argentoratenses Vol. 1. Cons. 88.* opinantur. In quibusdam tamen locis, cum occupatione aprorum minorum, medium constituit genus. STRVV. *Iurispr. R.G.for. lib. 2. tit. 1. §. 23.*

(\*) Conuenationem Koppel-Ischt, quae non confundenda cum conuenatione, concursum domini territorialis, cum subditis suis iure venandi gaudentibus, significante, aut iure familiaritatis, aut iure seruitutis, competere, extra ambiguum positum. Si priori modo competit, vincicue sociorum ab illa pro lubitu licet discedere, modo ille postea sociorum quoque campis & siluis abstineat. Neque ab hac facultate immemoriali etiam temporis lapsu excludi potest, quoniam est res merae facultatis. Alter autem seres habet, si iure seruitutis competit, vbi etiam praescriptio ordinaria locum habet. Quaeritur, si quis alicui in sua silua, per modum seruitutis, ius venandi constituerit, an dominus, an vero ille, cui seruitus est constituta, venatione caregere debeat, si utriusque visibus non sufficiat. Vbi mihi videatur,

tur, pro eo sententiam ferendam, cui seruitus venationis est constituta. Habeat enim sibi dominus filiae, quod non rectius deferarum, quas filia alit, numero circumspicerit.

(\*\*) Erronea est opinio, venationes precarias, siue ex mera gratia concessas, absque causa quandocunque reuocari posse. Habent enim tales concessiones naturam donationum simplicium, quae sine ingratu animo, retrahi non possunt. Id tamen certum, minus hic adesse dubii, quod concessio ex mera gratia stricte sit interpretanda, atque sic talis venatio simpliciter data, non maiores, sed minores tantum complectatur feras. Quod autem ad venationes precario datas attinet, eas omni tempore esse reuocabiles, nemo in dubium vocabit, qui precarii naturam cognitam habet.

(\*\*\*) Huius venationis in antiquitate quaedam latere fragmenta, ex classica phras: *feras strepitu cubilibus excutere*, quidam coniiciunt.

(\*\*\*\*) Germaniam nostram talem ignorare venationem, multi optant. Dicunt enim, nimium eam fatigare corpus, & non unum adesse exemplum, sanitati, imo saepe vitae, exitium intulisse.

## §. IV.

Tralatitium est, res omnes ante introducta dominia, promiscui fuisse usus. (a) Eis autem constitutis, quae non sunt occupata, iure gentium mansere libera.

(a) GROTIUS sententiam de communione proprie dicta, lib. 2. de I. B. & P. o. 2. §. 21. a veritate abhorrente, PVFFENDORF de I. N. & G. L. IV. §. 3. p. m 305. ed. Amstel. docet. In statu mere naturali, antequam homines se in uicem patris obstringerent, unicuique licebat facere, quaecunque & in quoscunque libebat, & possidere, ut frui omnibus, quae volebat, & poterat.

poterat. HOBES de ciue c. i. §. 10. p. m. 6. IDEM Leviath. c. 14.  
p. m. 66. Vbi tamen sunt, quae emendari merentur.

### §. V.

Hoc etiam in feris obtainebat animalibus,  
quam diu nulla lex ciuilis, quae hanc libertatem  
naturalem circumscrivebat, lata fuit. (a)

(a) GROTIUS de I. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 5. PVEFENDORE, de I. N. & G. lib. 4. c. 6. §. 5. 6. 7. HORNIUS de Ciuitate l. 3. c. 3. §. 4.

### §. VI.

Et licet postea homines in societas ciui-  
les coaluerint, atque res plurimae singulorum  
esse coeperint: Gentibus tamen quibusdam (a)  
placuit, feras promiscui pati esse ysus, atque  
primo cedere occupanti. l. 3. ff. de acquir. rer.  
domin.

(a) Ut Romanis, l. 14 ff. de acquir. rer. Dom. l. 1. ff. de  
acquir. possess. §. 12. instit. de rer. diuis. Coepit interea aliquod  
ferarum genus Romanis Imperatoribus, ad theatram & ludicram  
venationem, quam interdum in circu & vrbis regionibus  
edebant, SVETONIUS in Caesare c. 10. Nerone Claudio c. 4. in-  
primis in bellum profecturi, CAPITOLINVS in Maximo &  
Balbino p. m. 441. in script. Hist. Aug. seponi; potissimum Le-  
ones, quos isto tempore nec voluptatis causa venandi, nec ve-  
nundandi, sed saltim occidendi licentia data erat, constit. Hon-  
or. & Theodos. in Cod. Theod. lib. XV. tit. XI. Leones enim,  
qui in ludicris adhibebantur venationibus, Comites limitum,  
Magistri militum, aut qui eorum vices gerebant, venabantur,  
cosque in aulam transmittebant, l. un. C. de venatione ferarum,

GOTHOF.

**GOTHOF.** ad Cod. Theod. tom. V. p. m. 392. Hispani adhuc omnes venandi libertate, teste Hub. THOMA, in vita Friderici Palatini, lib. 6. & 10. fruuntur, vt & Habessini, LUDOLPH lib. 2. Hisp. *Aethiop.* c. 9. n. 22. Olim etiam Hebrei hoc iure vtebantur, SELDENVS de I. N. & G. lib. 6. cap. 4. p. m. 712. Cumque, vt monitum, penes Romanos, ferarum occupatio, iuris naturalis libertati relictum, minus recte ab aliquibus fundorum Romanorum accensetur fructibus. Neque enim l. 26. ff. de usuris & fructibus, quae e libr. VI. Iuliani, ex Minicio, desumpta, hoc affirmantes iuuat, sed illis magis obstat. Nam dicitur ibi: *venationem fructus fundi negavit esse, & addit tantum limitationem: nisi fructus fundi ex venatione constet.* Quae limitatio, iuxta genuinae interpretationis regulas, ne iuri Romano contradicitoria tribuamus, non potest intelligi, nisi de illo casu, si dominus fundi animalia fera a se iam occupata, viuariis & septis inclusa, fundi fructibus annumerauerit, indeque ad ipsum, aut potius fundum, lucrum peruererit, v. CORASIVM *Miscell.* libr. V. c. VIII. p. 347. Et si hoc ita se habebat, venatio, quae in illis septis exercebatur, ad usurfructuarium pertinebat. Huc respicit §. 5. l. 9. ff. de usurfructu: *Aucupiorum quoque & venationum redditum, Cassius ait, libr. 8. iuris civilis, ad fructuarium pertinere, ergo & piscationem.* Sermo hic est de piscatione in piscina, in qua pisces, aut captiuitate, aut nativitate, in dominium alicuius peruererant. Firmatur illud magis adhuc ex l. 62. ff. eodem,\* quam de saltibus & montibus circum sepris, aut certis limitibus, territorium cum accessorio occupatum includentibus, circumuallatis, occupata vel ibi nata animalia continentibus loqui, ex eo patet, quod, montes & saltus possessionis, dicantur. Huiusmodi enim locis saltuariorum praeficiebantur, l. 12. §. 4. ff. de instructo vel instrumento legato. Traditur autem in illa supra citata lege 62. ff. de usurfructu, si animalia ibi in virilitatem fundi includantur, capita animalia non domino, sed fructuario cedere; quod si vero ferae occupatae illic non alitae fuerint, ut essent fundi emolumentum, sed ob alias rationem, penes usurfructuarium non esse ius ea occidendi, nisi ille suis operis ea viuario inseruerit. Demortua autem capita, si quae ferae sibimet ipsae inciderint, delapsaeue fuerint, fructuarii

Etuarii iuris erant, ea tamen lege, ut eundem numerum, per singula quoque ferarum genera, finito vsufructu domino proprietatis adsignaret, qui fuit vsufructus coerti tempore. Nec obstat l. 12. §. 12. ff. de instructo, vel instrumento legato. Ibi enim tantum dicitur: *Si in agro venationes sint, venatores quoque & vestigatores, & canes & caetera, quae ad venationem sunt necessaria, instrumento contineri: non autem, quod a iure venandi in illis agris alii exclusi fuerint.* Multo minus e §. 1. l. 99. ff. de Legat. 3. aduersae doctrinae addicti aliquid suae sententiae proficiens elicere possunt. Ibi enim non dicitur, quod venatio in fundi fructu fuerit, sed tantum: *venatores & aucupes, vrum in urbanis, an in rusticis contineantur, porest dubitari: Sed dicendum, ubi paterfamilias moraretur, & bos alebat, ibi eos numerari.* Potuerunt enim venatores ali, licet venatio inter res communes manserit. Idem dicendum de §. 1. l. 12. ff. de re militari, in quo legitur: *debere eum, qui meminerit, se armario praecesse, parcissime commeatum dari, equum militarem extra prouinciam duci non permittere, ad opus priuatum, piscatum, venatum, militem non mittere.* Haec certe verba potius euincunt, ius piscandi in fluminibus publicis & venandi in siluis non obseptis, omnibus apud Romanos commune fuisse.

\* Summus terrarum, quae Prussiae regi parent, Cancellarius L.B. de COCCETI, in *Iure Controv. Libr. VII. Tit. I. qu. XI. l. 62. & 9. §. 5. ff. de usufructu, cum l. 26. de usuris* hoc modo conciliari posse putat, quod LL. 62. & 9. §. 5. intelligendae sint de fructuario, & l. 26. de usuris, de bonae fidei possessore, quoniam ille omnes fructus, hic autem tantum eos, qui ex re proueniunt, percipiat. Verum enim vero l. 136. ff. de R. I. dicitur: *Bona fides tantudem possidenti praestat, quantum veritas, quando lex non obstat.* Haec autem verba nihil aliud significant, quam quod bonae fidei possessor idem ius cum domino habeat, & per consequens etiam fructuario, quoad emolumenta, non sit inferior. Nec adest lex prohibitiua, ne bonae fidei possessor, alios, quam e re prouenientes fructus, habeat.

## §. VII.

## §. VII.

Penes gentes Europae septentrionales & occidentales, quae communi Celtarum (a) nomine veniebant, moris plerumque fuisse, ut, praeter Regem & Nobiles, nemo venatus iure gauisus sit. (b)

(a) COCCETI proleg. *Iur. publ. f. 17. §<sup>3</sup> 18.*

(b) Reges enim ex Nobilitate sumebantur, Duces ex Virtute, quibus nec infinita aut libera potestas, sed suadendi magis, quam iubendi potestate gaudebant, *TACITVS de moribus Germanorum c. 7.* Erant Caput Nobilium, qui sibi eos in belli Duces, & in conciliorum & iudiciorum praefides constituerant, ut & de minoribus rebus soli consultarent, *TACITVS de M. G. c. 11.* Hinc Arminius *Iuuenis genere nobilis, VELLEIO PATERCVLO 1. 2.* vocatur, qui cum maiorem, quam par erat, adfectaret potestam, dolo propinquorum cecidit. *TAC. Ann. II. c. 88.* Et illud etiam subsequentibus duravit temporibus. *GOTHOFRIDVS* namque *Viterbiensis* ad ann. *DCC LXXXVII.* de Longobardorum Regibus ait: *Omnes Reges illi fuerunt Adelingi, id est, de nobiliori progenia, quae apud illos dicitur Adelmingi.* *GREGORIVS TVRONENSIS Hist. Francicae lib. 11. c. 9.* iuxta pagos vel ciuitates Reges crinitos super se creauisse; de prima & nobiliori suorum familia. Illis Regibus praeter eas, quae a Nobilibus erant concessae, nullae erant praerogatiuae, *v. HOTTO MANNI Franco-gallia c. 7. p. m. 83. seqq. COCCETI oratio de L. Sal. p. 7. SCHAT. Hist. Westph. p. m. 423.* Caeteroquin cum iis Nobiles aequalibus gaudebant iuribus. Credo tamen, sicut Ciuitates Principibus vel armentorum vel frugum dona, ut necessitatibus subueniretur, exhibebant: Sic Nobiles equos ad militiam aptos, arma, pbaleras, torquesque in manus obtulisse, iisque sylias quasdam, ad solitarium venandi usum destinasse. Plebs, quae cum Nobilibus tantum ciuitatem siue Rempublicam constituebat, cum primis temporibus in Germania nullae essent vrbes, *TACITVS de moribus Germanorum c. 16.* nec Urbani siue barbare Burgarii, nullas in

H 3

venatu

venatu videntur habuisse partes: Sed vnicē agriculturae, in quantum in Germania moris erat, armentorum curae, vacabant & mercimoniis, a quo vltimo Nobiles plane abstinere debebant, etiam postea ex lege quadam torneamenti, HACHENBERG *in Germania media, dissert. n. p. m. 24.* Nobiles autem soli militiae addicti, vnde simpliciter in veterum monumentis vocantur milites, armigeri, scutiferi, loricati, si quiescebant a bello, domos penatum & agrorum curam delegabant faemini, senibus & infirmissimo cuique ex familia, plerique vero Nobilium adolescentium petiere eas nationes, quae tum bellum aliquod gerebant, TACITVS l. c. c. 14. Sic solos etiam huic belli praeludio vacasse putares, vt aequalitas quaedam in ciuitate obseruaretur, quoniam, vt monui, Nobilitas a mercimoniis arcebatur. Nam in Germania veteri ingenuorum, qui sub plebe comprehendebantur, non magna fuit in Republica potestas. Plebs pene servorum habetur loco, quae per se nihil audet & nulli adhibetur consilio, plerique quum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur, sese in seruitutem dicant Nobilibus, in hos eadem omnia sunt iura, quae dominis in seruos. De Gallis CAESAR de bello Gallico lib. 6. c. 13. HACHENB. germ. media l. c. p. 27. Ex his ingenuis erant Comites centum, quos TACITVS ex plebe lectos esse dicit l. c. c. 13. qui principi consilium & auctoritas simul aderant, in pace decus, in bello praesidium. Hi si res strenue gerebant, Nobilitatem consequebantur. Interdum tamen Nobiles, si ferale imminebat bellum, seruos & frilingos suos, qui non multum supra seruos erant, armis instruebant. Huc spectant, que TACITVS lib. 2. annal. c. 15. de Proceribus, i. e. qui insignem Nobilitatem habebant, vna cum Arminio, ante conflictum cum Romanis, suos i. e. frilingos & seruos testantibus, refert. *Hos esse Romanos, variani exercitus fugacissimos &c.* Maius adhuc opinioni huic ex cap. 7. TACITI de moribus germ. additur firmamentum, vbi referrur, vt praecipuum fortitudinis incitamentum, quod non casus nec fortuita conglobatio turmam aut cuneum faciat, sed familiae, i. e. frilingi & serui, & propinquitates, i. e. qui eiusdem nobilis erant prosapia. Nec obstat, TACITYM l. c. c. 8. Germanis nihil, neque

neque publicae neque priuatae rei, nisi armatos agere c. 13. Nec licitum esse cuique sumere arma, quam ciuitas suffectorum probaverit, afferere. Nam ibi de Nobilibus, atque potissimum de caeteris in Comitatum Principis ex plebe selectis, loquitur. De illis enim in fine capitulis praecedentibus ei sermo est. Posterioribus temporibus, vbi vrbes in Germania habitari coeperunt, & aliqui sub nomine Patriciorum, Nobilitatem aemulati sunt, an burgarii isti ad venationes admissi sint, in suspenso relinquam, vid. CLV. *German. antiqu. lib. 1. c. 18. p. m. 137.*

### §. VIII.

Nec posterioribus temporibus, vbi systema Ciuitatum Germaniae vni Regi ciuili adhaerere coepit vinculo, cui Proceres legitime electo inaequali iungebantur foedere, res aliam induit faciem. Nam Regibus, vt & Principibus, olim plena non aderat potestas, sed cum illis, ad constituendum integrum subiectum existentiae Maiestatis, concurrebant Proceres Imperii; cum his, ad constituendum integrum subiectum superioritatis territorialis, Ordines prouinciales, qui Nobilitatem & clerum, interdum etiam Ciuitates repreaesentabant. *Concordata Ordinum Prou. Fris. orient. cum Comite §. 3. p. m. 177. BAIER in Specim. Iur. Germ. Lib. 2. c. 8.* Itaque, vt omnibus iura sua salua fuerint, nec Regibus, aut Principibus alia in subordinatorum bona competit potestas, quam quae ipsi voluntario & peculiari conferebatur consensu. Hinc factum, quod non-

nonnullis in locis, a longissimo tempore, Principibus in Nobilium siluis & campis ius aliquod venatus liberum fuerit, quod interdum etiam oneroſo ſunt naclī titulo. Interim Regibus & Principibus peculiares ſuae & patrimoniales quoque erant (a) siluae.

(a) Siluae & terrae, in quibus iure venandi vrebantur, aliique, vt par erat, a venatione in ipsis prohibebantur. Saepe quoque siluae quaedam, vt patrimonium publicum, quārum vsumfructum haberent, concessae fuere. Cooperunt enim Nobiles in Germania, cum cultioris eſſe inciperent vitae, paclis ſeſe obſtrīgēre, vt vnicuique peculiaris ad venandum pateret diſtri-ctus, aut vt duo pluresue in eodem ad venandum concurrerent territorio. Chuntramus Rex Francorum in Cubicularium ſuum animaduerти voluit, quod feram occidiffet IN REGALI SYLVA, GREGORIVS Turonensis lib. X. c. X. apud Du CHESNE, tom. I. p. m. 442. Videatur & AIMOINVS lib. 5. de gestis Francorum. In Charta Chilperici, apud DOVBLET lib. 3. p. m. 689. FORESTE NOSTRA. SYLVA REGIA in Lege Longobard. lib. I. t. 22. §. 7. FORESTE DOMINICVM in charta Ludouici III, apud VGHELLVM, tom. V. Ital. sacr. p. 618. In his siluis nec Regis liberis, absque ſpeciali parentis consenſu, venari permifſum erat. Capitul. Caroli Calui, t. 43. c. 32. apud BALVZIVM, tom. 2. p. m. 268. Capitulum Caroli Magni ann. 802. c. 39. conf. Du CANGE glōff. t. 2. p. 483. edit. Paris. MABILLON de Re Diplom. Lib. VI. n. 199. p. 61. Sic ex iure Saxonico in Regiam venationem tria erant separata nemora, Koyniſcb, Magerbeyde, atque Hartus. Qui feras in ipsis locis occidebat, praeter lupos, vrsos & vulpes, bannum regium, ſcilicet ſexaginta ſolidos, nomine mulætae, ſolutebat. Specul. Saxon. lib. 2. artic. LXI. Sueci Regibus ſuis ad venandum peculiař attribuerunt ſpatia, quae vocantur Königes Barcker. vid. Conſtit. Reg. de venat. & aucup. art. 7. Igitur venatio apud eos diſtinguitur, in publicam & Regiam. Olim in Anglia, ex Conſtit.

tit. Canuti, foresta & venatio vnicē ad Regem videntur spectasse. *Spelmannus in gloss. sub verbo, foresta:* Sed illud de Regis saltem intelligendum esse, putares, scil. quae non ad Comitatus, Episcopatus, vel paroecias pertinuere; Cum Wilhelmus Comes Arundeliae, circa annum 1180. florens, Monasterio S. Mariae de Wimundham decimam, omnium bestiarum, quae caperentur in parcis suis de Wimundham concesserit. Imo Regibus peculiares fuisse venationes, ex lege Eduardi Conf. c. de heretochiis constat, vbi dicitur, *omnem hominem a venariis Regis abstinere debere.* Aberrant igitur grauiter, qui arbitrantur, quod Reges silvas & venationes Monasteriis, aliisque donarunt, colligi posse, Reges & Principes vnicē iure in silvas & venationes gauifos esse. Scio equidem, donationes eiusmodi in rerum gestarum commentariis admodum frequentes occurrere. Pipinus Monasterio St. Dionysii in Gallia donat in remedium animae, forestam SVAM cognominante aequalinam, cum omni merito & soliditate sua, quicquid ad ipsa sylua aspicere vel pertinere videtur. DOVBLET lib. 3. p. m. 699. Carolus Magnus Fuldensi monasterio in pago Maquyowe locum nominatum biberbab, cum pisationibus & venationibus, donat. Cod. man. diplom. fuld. p. 14. Carolus simplex largitur Ecclesiae sancti Lamberti Leodicensis syluam in arduenna sitam, diploma adhaeret Leodicensi Reipublicae, a BOXHORNIO editae p. m. 462. Henricus II. Ottoni Ecclef. Frisingensis Praefuli donat suae proprietatis partem altquam in regione Threme in Comitatu Waltilonis Comitis, Helder von Reichs-Boigtheyen p. 227. Henricus II. Ultraiectinae Ecclesiae ius venationis per comitatum Trenthiae, HEDA in Historia Ultraiect. p. m. 101. Idem Imperator donat Monasterio Laurishamensi bannum forestis in Ottenwald, TOLNERI codex diplomaticus p. m. 21. Arnulfus donat alicui hubam vnam cum syluis RES PROPRIETATIS SVAE IN COMITATV POPONIS COMITIS SVI, apud HVNDIVM in metropoli, p. m. 17. Ius venandi non semper silvis iunctum erat, vid. Chartam Caroli Calui, apud DOVBLET. p. m. 780. Henricus II. Bertholdo Tullenis Ecclesiae Praefuli imperiali dat auctoritate, quod AD IVS DISPOSITIONIS SVAE per-

tinere videtur, forestum videlicet & bannum venationis ex syl-  
 uis, cuius termini in diplomate indigitantur, | vide diploma 24.  
 quod adhaeret *Historiae Ecclesiasticae & Politicae urbis & dio-  
 cesis Tullenſis*. Henricus Imperator Adelberto Archiepiscopo  
 Hamburgenſi, in Comitatu Bernhardi Comitis, in proprium  
**FORESTM ETIAM CVM NOSTRO BANNO**  
**REGALI PER OMNEM COMITATVM** venationi-  
 bus faltem, quae a praedecessoribus suis aliis datae erant, exce-  
 ptis, *LINDENBROG script. Rer. Germ. p. m. 162.* Eadem for-  
 mulam eiusdem Imperat. de Comitatu Stadensi habemus *l. c. p.*  
*165.* Diploma vero Henrici IV. in quo venatio donatur etiam *l. c.*  
 In diplomate Ottonis tertii, quod *PISTORIVS p. 736.* refert, di-  
 citur: *Episcopo Mindenſi dedimus FORESTES NOSTROS*,  
 vide & diploma Conradi Salici, apud eundem *l. c.* Henricus IV.  
 ad petitionem matris Agnetis, donavit Ecclesiae Verdensi beatae  
 Mariae & beatae Ceciliae quoddam forestum venationis in Maiet-  
 heide, *Chron. Verd. apud LEIBN. tom. 2. p. m. 217.* Venatio-  
 num Episcopis Hildesiensibus concessarum diplomata reperiuntur  
 in tract. de finibus dioecesis *Hildes. l. c. p. 156.* Corbeiensi-  
 bus Solinga feudum foresti conceditur ab Ottone IV. vt in eo v-  
 sum venandi habeant, & ius, quod vulgo *Wildbann* appellatur,  
*SCHAT. Annal. Paderborn. t. 1. lib. IX. p. 921.* Hoc ius ipsis a  
 Rudolpho confirmatur. *SCHAT. lib. 12. p. 154.* Sed videntur iu-  
 re suo, feras occupandi in silua Solinga, aut in foedere cum  
 Ottone iuniore Brunſu. *SCHATEN. lib. XV. p. m. 605.* aut cum  
*1521.* Aduocatiā ad Brunſuenses transferrent, *PAVLINI*  
*Chron. Huxariense, p. 151.* deceſſisse. Sibi tantum nonnullas ex  
 feris maioribus in S. Viti festo exhibendas, vna cum venatione  
 minori, in subiacentibus Söllingae campis, das Brück-Feld, stip-  
 ulantes. Ex omnibus recentiſtis, maximam partem, pro more  
 iſtorum temporum, ſtylo barbaro conſcriptis, *FONTANINI, Vin-  
 diciae diplomatica c. X. p. m. 116. seqq.* vt & aliis, quae apud  
 Stephanum PERARD. in collect. diplom. *Histor. Burg. inseruen-  
 tium p. 28. 31.* & *Historiae Ecclesiasticae Placeutinae de Pietro  
 Maria CAMPI, append. p. 481.* alibique paſſim reperiuntur, di-  
 plomatibus innotescit, Reges & Imperatores nihil quam foresta  
 & vena-

& venationes suas patrimoniales donasse. Vnde tanta Imperatores inuasit bonorum inopia, de qua conqueritur Henricus V. in Epistola apud DODECHINVM: *Et cum per nuncios nostros ab eo (Paschali) quereremus, quid de nobis fieret, in quo Regnum nostrum constat, quomodo fere omnia Antecessores nostri Ecclesias concesserunt & tradiderunt, MEIBOMIVS de iure inuestiturae Episcopalis, t. 3. verum Germ. p. 175.* Ad manus etiam sunt quam plurimae Nobilium donations, in quibus silvas & iura venandi Ecclesiae a scribunt. Quod si haec fuissent feuda, sine Principis consensu alienari non potuissent, cuius tamen ne verbulo quidem in donationum tabulis mentio iniicitur. Vgolinellus Comes Ecclesiae eidam Luccensi pro remedio animae donat decimam aut collectam, quae ipsi a quacunque domo soluebatur, cum pisationibus & VENATIONIBVS, Memorie di Mabille p. 157. Cancro Comes Rheinensis donat monasterio Lauishaimensi terram & syluam, quae est in Marchia Birstadt. TOLNERVS l. c. p. 4. Landfridus ex Optimatibus, & Teudgildis eius vxor anno 813. donant monasterio S. Dionysiano syluam, charta est apud MABILLON, de re diplomatica, p. m. 517. Huius generis quamplurima in traditionibus Fuldenibus, apud PISTORIUM, MIRAEI diplomat. belgicis, & eius codice donationum pa- rum, ut & apud DV CHESNE, lib. XI. des preuves de l' histoire de Montmorenci, habentur.

### §. IX.

Sententiae meae, quod Principes in Imperio, & Nobiles in territoriis Principum aliquod ius venandi proprio iure exercuerint, non refragatur, quod sicut Principes ab Imperatore, ita & Nobiles a Principe plerumque cum iure venandi inuestiantur, & sic illud tantum ius ex Principis habere beneficio videantur. Nam ius venandi,

quod sub vinculo fidelitatis Nobilibus conceditur, aut donatum est (a) in terris antea Principum patrimonialibus, aut Principi oblatum in feudum redditur. Enim vero cum bella priuata (c) in Imperio nostro adhuc licita essent, non solum quamplurimi Principes, aliorum vires metuentes, bona sua Imperatori in feudum obtulere, ut sub ipsis vmbra ab aliorum insultibus tuti essent: Sed & Nobiles inimicis suis, se impares reputantes, rebus suis consultius putarunt, alii potius aliquali obsequii fiduciarii vinculo obnoxios esse (d), quam omnia hostibus in rapinam permittere. Illi e contra, quorum opes antea validiores fuerant, horum vicissim, Seniorum auxiliis iam potentiorum, iram pertimescentes, ut ab eorum impressionibus liberi essent, aut eo melius vim vi repellere possent; interdum quoque accepta pecunia, ut indigentiae satisfacerent, praedia sua virium aut religionis opinione (e) insignibus in feudum concessere.

(a) Saepissime praedia & iura Reges militibus suis, ob res praecclare gestas, largiebantur, vnde beneficia exorta, Petri MARCAE Marca Hispanica, lib. 3. c. 8. p. m. 256. seqq. Quae non primum seculo vndecimo, vt putat FREHERVS, apud THOMAS. dissert. de lib. Veter. de benef. aut §. 3. & 15. feuda dicta sunt. Nam in testamento Ælfredi Angliae Regis dicitur, alterum vero FEVDVM, Spelmanni Appendix II. p. m. 194. Hunc autem Ælfredum anno 901. diem obiisse supremum, sunt, qui putant, appendix V. p. m. 204. Nisi dixeris, Freherum loqui de

de Germania, in ea nimurum vocabulum feudi ante vndeclimum non adhibitum fuisse seculum. Non quidem omni ex parte Gemmingio assentior, qui afferere audet: Die guten Lehn seyn alle freywilling aufgetragen, die schlechten allein aus Gnaden gegeben; *Hertius de feudis oblatis* §. 15. part. 1. p. 509. 510.

(b) Feudorum oblatorum in Rerum Germanicarum annalibus non leuis occurrit copia. Imperatori, praeter alia, Dux-tus Brunsu. Luneb. est oblatus, ut ex MEIB. t. 3. *Rer. Germ.* p. 206. constat. Diploma Comitatus Waldeccensis, Hassiae Landgratio in feudum oblati, habetur apud HERTIVM, *de feudis oblatis, parte tertia* p. 579. Vide alia quoque l. c. p. 572. seqq. SCHIL-TERVS, in annotationibus ad Codicem iuriis feudalis Allemanniici, p. 458. varias quoque feudorum oblatorum refert tabulas. Aliqua etiam feudi oblati charta in TOLNERI codice diplomatico reperitur. Sic Bochardus, Dominus Marletti Regi Francorum Ludouico in feudum offert, aut rectius donat, venatum maiorem. Verba diplomatici vid. supra pag. 64. not. a integra inserita. Ante seculum XIII. non ita frequenter fuere Nobilium feuenda. *Codex diplomaticus Nobilitatis immediate, nuper editus*, p. 457. HERTIVS l. c. part. 1. §. 8. p. 503.

(c) Aur. Bulla Cap. XVII. §. 2.

(d) Clerus vetustis temporibus tanta laicos effascinauerat superstitione, ut res suas, Episcopis & Monasteriis in feudum oblatas, peculiari Numinis frui tutela & benedictione, sibi persuasum haberet. Non tamen negabo, sacerdotes praeter calliditatem, interdum etiam vim aut minas adhibuisse. Ringente itaque Papa Innocentio tertio Ioannes I. Angliae Rex, ubique fere aduersa vtens fortuna, Regnum Angliae & Hyberniae Romanae Ecclesiae in feudum obtulit. Vide diploma Ioannis & Epistolam Papae ad ipsum, in *Miscell. Epist. in spicilegio d' ACHERIANO* p. m. 573. seqq. Habetur etiam in *Chronico Nicolai TRIVETTI, tom. 8. spicilegii* p. 555. MATHAEVS PARISIENSIS, aliis paulo verbis, illud ad annum 1113. refert. De Aragoniae Regno Papae in feudum exhibito loquitur Bodinus, de Republica n. 119. Scotiae regnum sibi quoque clientelae lege teneri, Papa contendit: Sed Eduardus I. aduersus Pontificem

mascule testatus est, Scotiam non Praesuli Romano, sed sibi clientiae vinculo esse addictam, TRIVETTVS in Cbronic<sup>o</sup>, apud d<sup>r</sup> ACHIERIVM a p. 705. ad pag. 716. LEIBNITII mantissa Cod. iur. Gent. diplomat. circa finem. Regulus Insulae Mans le Pontificis etiam professus est vasallum, LEIBNITIVS, in prooem. codic. diplom. Ecclesiae Treuirensi multa ex feudis oblatis accessisse incrementa, BROWERVS in annalibus non uno in loco indicat, vid. tom. 2. lib. 15. p. 98. p. 112. lib. 15. p. 161. & alibi passim. PONTANVS Hist. Gelricae lib. 5. p. m. 78. refert ex HEDA Catalogum beneficiorum, ad Ecclesiam Vlraiectinam pertinentium.

### §. X.

Quod si iam venatio in feudum data, aut reddita sit, quaestio exoritur, vtrum in dubio ius illud Vasallo cumulatiue i. e. quod dominus adhuc facultate gaudeat, in terra ista, in qua alteri ius venatus largitus est, feras occupandi; vel priuatue i. e. directum dominum nullos plane in venatu retinuisse partes, quamdiu alteri ius quaesitum saluum manet. Fateor pro concursu principis ad venationes illorum, qui hoc iure, vt beneficio, sibi a Principe collato, gaudent, non leues militare rationes. Nam vt supra dixi, homines in largiendo solent esse tenaciores: Atque ita praesumuntur Principes potius aliquem ad venatus consortium admittere voluisse, quam vt se per eum a tali exercitio, magnatibus in primis caro, excludi voluerint. Quod si vero cogitamus, quantarum discordiarum communio sit mater

mater, credendum, Principem ius venationis largientem, discordiarum occasionem euitare, quam leue conuenationis emolumentum, in tanta aliarum venationum copia, sibi reseruare maluisse.

(a) Antiquis temporibus reges venatoribus suis in Nobilium filiis feras captare omnino interdicebant. Carolus III. Imperator adud *Caelestinum & Vgbellum*, in Episcopis Bergamensis. Et quia ipse Praeful nostrae innocentiae mansuetudini, quod quaedam venationes publicae ex iniusta & contra omnes leges inventa confuerudine, in quibusdam comitatibus vel ministeriis publicis, a nostris exactioribus annuatim exquirantur, & mox iubemus, ut nullus sub Regno nostro constitutus, in quibuscumque comitatibus vel ministeriis publicis, villas buiuscemodi exactiones, aut alias quaslibet annales donationes exigere, audeat. Eadem habentur in charta Ludouici Imperatoris de anno 901. vide *Ducange*, in voce *arbstaria*. Accidit tamen, iure venatus luditos pro lubitū priuari posse, nempe aut in poenam, vel ex vi supereminētis dominii, *Grot. lib. 2. c. XIV. s. VII. lib. 3. c. 20. §. 7. arg. 1. 14. C. de oper. publ.* Propterea tamen Principi non est erepta potestas, vi superioritatis territorialis, circa ius venatus in vniuersum aliquid sanctiendi, id est, *Frost- und Jacht- Ordnungen zu machen*. In ea enim virtutur potestate sua leges ferendi. Lege Saxonica constitutum est: *Nemini licere sara perransire venando & conculcando, postquam folium crescendo acceperint, Spec. Saxon. lib. 1. art. 61. p. m. 286.* Ex Ioannis Georgii Elect. Saxon. mandato, *Des Büchsen-tragen, Jagens und Hähens halber, venari non permittitur, nisi a festo Bartholomaei vsque ad iejunium quadragesimale.* Hoc tempore, in constitutione *Augusti Duc. Brunsv. de an. 1645. venatus prohibetur, bey Vermeidung willkürlicher Straffo.* Add. *Recess. Provinc. de An. 1619. §. 33. & Constit. Annonii Vldarici, de an 1711.* Putant tamen, hoc exceptionem pati, si feriarum solemnium tempore, aut in festiuitate natali, baptismali, emortuali, aut alia, ex venatu ferculum adponendum sit.

Inter

Inter leges venatorias merito etiam referendum, quod canes a  
grestes, & rusticorum molossi ex collis pendentes habeant fu-  
stes, aut catenas, quibus impediuntur, quo minus feras perse-  
qui queant, *Augusti Duc. Brunsv. Confit. de An. 1638. Et 1654.*  
*Lands Ordnung §. 83. Adde Adjuncta ad ordinat. Curiae Prouinc.*  
*Guelphorbit. p. 718. 719. In Frider. Duc. Brunsv. Conf. de an.*  
*1645. nec non Cellens. Camerae Ordin. de an. 1690. Et Mandat. Du-*  
*catt. Magdeb. de an. 1687. tempus quoque statuitur, quo à ve-  
natione sit abstinentium. Ordonance d' Orleans, chap. de la No-*  
*blesse: defendons aux Gentils hommes, & a tous autres, a chas-  
ser, soit a pied, ou a cheval, avec chiens & oyseaux, sur les ter-  
res ensemencés, depuis que le bled est en tuyau & aux vignes.*

### §. XI.

Reliquos vero subditos (a) non iniuria a  
venatus exercitio excludi, omnino mihi persua-  
sum habeo (b). Apud Germanos nostros anti-  
quis temporibus praeter Nobiles nullos, aut raro  
alios (c) admissos esse, supra docui. Sunt tamen  
in terris Germaniae potissimum Brunsuicensibus  
(d) & rustici quidam, qui, ex speciali priuile-  
gio, aliqua venandi gaudent facultate.

(a) Subditorum nonnulli, ob singularem aliquam qualita-  
tem moralem, ab hoc remouentur iure, vt Clerici, *Capitulum*  
*Ludouici Imperatoris, in Codice LINDENBROG. tit. 43. p. 163.*  
*Venetiones quoque ferarum, vel avium minime secentur, Capitul.*  
*Caroli Calvi Cap. IX. Venetionem quoque nullus tam sacri*  
*ordinis exercere praesumat, apud BALVZIVM tom. I. p. 241. IDEM*  
*ipsis prohibetur in formula reform. Caesar. Maest. apud GOL-*  
*DAST. t. 2. Constit. §. 7. p. m. 336. C. I. & II. De Clerico venatore.*  
*Innocentius quartus ad hoc caput p. m. 510. Venatio enim,*  
*ex mente Canonistarum, babeatur pro nutrimento peccati, cum*  
*nullus*

nullus unquam sanctus reperiatur Venator. dist. XXXIII. c. quorundam relatione, 86. dist. c. Esau. Et venandi scientia vocatur ars nequissima, c. dist. 80. qui venatoribus. Vnde nec per praecriptionem facultas in propria persona venandi Clericis acquiri potest; cum sint subiectum plane incapax. Panormitanus ad tit. Decret. de Clerico Venatore. In Decret. Nicolai II. apud BALVZIVM Tom. VII. p. 67. Miscell. praecipitur: ut episcopi & clerici arma non ferant, neque venatori neque aucupio studeant. In Capitulis Rodulphi Archiep. Bituricensis c. 19. clerici iubentur, ut venationem cum auibus vel canibus refugiant, BALVZIVS Tom. VI. Miscell. p. 154. De Geraldo Archiepiscopo Bracarerensi, inquit BERNARDVS Archidiaconus, in vita eius, ap. BALVZ. Tom. III. Miscell. p. 184. quod circa curam accipitrorum, aut circa venationem canum, siue circa ludos alearum nunquam operam dederit. Arnulphus Episcopus grauiter increpat clericum accipitrem manu sustinentem, ap. DITMARVM MERSEB. in LEIBNIT. Script. Rer. Brunsv. Tom. I. p. 328. Quod si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus in hac voluptate saepius detenti fuerint, primus tribus, secundus duobus mensibus a communione, si Diaconus, ab omni officio, suspendantur. Vid. GONZALEZ de TELLEZ ad Decretal. Tom. V. p. 405. 406. ad Tit. X. de Clerico Venatore: Fabulam olet, quod in Annalibus Augustburgens. apud MENCKENIVM Tom. I. Script. Rer. Germ. p. 1388 traditur: Brunonem venandi iura hactenus sacerdotibus non concessa episcopatu[m] quo, quem primus frarris sui clementia in principatum Germaniae euexit, a Caesare precario acquisuisse. Interdicta vero ipsis saltet venatio clamosa, vnde piscari eis licitum. Et necessitatis causa, e.g. ad leuandam famem, aut restaurandam valerudem, etiam clamosae aliquid indulgere possunt, glossa ad c. cit. p. m. 1761. Nam leges etiam Dei quaedam tacitam habent exceptionem summae necessitatis. GROTIUS de I. B. & P. lib. I. C. IV. §. 7. Cumque clerici, in primis monasticam vitam agentes, per canones a venationibus excluderentur, monasteriis tamen saepe siluae cum venationibus donarentur, \* nonnunquam hoc ius suis concessere aduocatis, vel ex mera liberalitate, vel in salarii partem, eo tamen quandoque sub pacto, ut ferarum aliquid

quid monasterio quotannis praestaretur. Accidit itaque, ut aduocati propria oeconomia destituti, aut angustiori vntentes, aut saltim in aliquod eius leuamentum, a monasteriis aut precibus aut pacto obtinuerint, vt venaticos ipsis alerent canes, quod tamen onus, ex ipso aduocati monastici officio non fluit, quippe quod tantum praecipuam respicit defensionem ecclesiae, rerum ecclesiasticarum, monasterii & rerum monasticarum, & si quae aliae adhuc sunt similis generis partes. Neque regulariter inter ea, quibus Aduocati operaे pensabantur, erat. Vid. Paulini de *Aduocaria armata*, *Scriptor. Rev. Germ.* p. 541. Documenta Rediuiua p. 735. Sententiae meae fauent etiam, quae in modo citatis *Documentis Rediuiuis Württenbergensibus*, p. 10. reperiuntur. Dicitur enim ibi, in historia monasterii *Adelsbergensis*: *quod honorarii quodam iure, aduocatis conesserint, non solum aliquam emendarum aut compositionum partem, sed & iura venationis aut punctionis & alia similia*. Aliquando fundatores monasteriorum aut meliori dote eis prospicientes, sibi tale quid stipulati sunt. v. *Docum. Red.* p. 242. 694. Consuetudini insuper & tacito interdum usui hic aliquid debitum fuisse, non nego. Solebant rameo eo iure etiam Aduocati sua sponte decedere. Id sequentibus Comitis Tubingensis, Goetzii exprimitur verbis: *Auch vns aller der Rechtern, die wir zu der Vorgenanten Hundeligi harten oder gehaben möchten, von Gewalt vnd Gewohnheit, oder von Recht begeben*, Doc. Red. *Wurt.* p. 409. Notabilia quoque sunt, quae hanc in rem, in priuilegio monasterio, Herrenalb, a Comite Ebersteinensi dato, reperiuntur sequentia; *nec praecipue grauabimus venatoribus, canibus aut vecturis, seu rebus etiam quibuscumque. Quod enim hactenus per nos eis fuerat illatum, per praesentes recognoscimus, ex mala processione consuetudine, non ex iure*. Doc. citat. p. 441. In Bibliotheca Augusta, quae est Guelferbyti, Diploma asseratur, in quo episcopus Hildesheimensis, mediante banno, quo refractarios ferire minabatur, monasterium Amelunxbornense ab onere aduocatis suis alendi venaticos canes eximit. Sic & consuetudini vel obseruantiae deberunt, vel etiam pacto, quod aliquibus in locis molitoris, qui furfure ad panem canibus coquendum apto abundare solent,

lent, venaticos principi alere tenentur canes, vel onus illud quadam frumenti vel pecuniae quantitate redimere. Neque hoc onus, neque illud, quod loca quaedam venatoribus albergariam, quam vocant, praestare, aut aere ab hoc onere se liberare coguntur, non ex superioritate territoriali fluit, alias omnibus tale quid incumberet molendinis & subditis. Itaque nisi consuetudo illa sit notoria, ab allegante est probanda. Nam multa sunt in Germaniae terris molendina, quae hoc onere non premuntur, & multa loca, quae Albergariae praestationibus sunt immunia. In *Recessu Saltzdaiensi*, de an. 1597. §. 6. sequentia leguntur: *Das Ieager-Geld, so an Statt der Ieager Zebrunge und Belohnunge die Dorf-schaffien in etlichen Aemtern erleget haben, soll es dabey gelassen, aber binfür nicht gesteigert, noch auf andere Dorffschafften, als bey denen es bisbiero im Gebrauch gewesen, von neuen ge-leget werden.* Ita & operae venaticae, *Iacht-Frobnen*, quae dominio territoriali, a subditis sunt praestandae, non tam ex qualitate subditorum, quam ex nexus, qui est inter dominum, & manumissum, deriuandae aliquibus videntur. De hisce operis allegatus *Recess. Prouinc. Saltzdaensis*, sequentia continet: *Wie es denn auch in allen und ieden Orthen, bey den Iacht Frobnen alda, und wie die vor 30. Jahren von Ann. 86. zurück zu rechnen gebrauechlich gewesen, und die Leute, welche an Statt solches Iacht Frobnens, ein genant Geld geben, dabey künftig gelassen werden sollen.* Peculiare est, & sic non presumendum, quod aliquo in loco, Principatus Blanckenburgensis, sartores pagenses, ad centones, qui venationi inserviunt, gratis resarcitendos, obstricti dicantur. Quae in Ducatu Luneburgico, quo ad venationis sequelam, *Iacht Folge*, obtinent, vide in resolutione ordinibus Prouinc. Ducat. Luneb. an. 1695. data. Adestit etiam Ducis Augusti edictum, quod omnes subditi luporum persecutionibus adesse debeant.

\* Amplissimum indicem donationum, ab Impp. & Re-gib. Rom. Germ. nec non Ducibus &c. Ecclesiis & monasteriis, in veteri Germania, concessarum, ex instrumentis desuper confessis exhibit Celeb. *Iob. Frid. PFEFFINGER, in Vitr. Ill. Tom. III. ad Tit. 18. §. 8. p. 1363-1389.*

(b) In Germania enim nostra Nobiles cum Duce venationem, antea rem nullius, per vniuersitatem occuparunt, & sic nulli alii subdito, a iure venandi excluso, fit iniuria. Res enim occupatae, a dominio antea vacuae, incipiunt esse in dominio eorum, qui occuparunt. GROTIUS lib. 2. c. 3. §. IV. HORNVS de ciuitate, lib. II. p. m. 334.

(c) Nulli aduersatur iuri, Principem subditos suos ad domesticas, aut rurales curas adstrictos, a venatu remouere. Licet enim ferae ex permissione naturali sint communes, illa tamen communio desinit, postquam lex ciuilis circa illam libertatem aliter statuit, GROTIUS de iur. B. & P. lib. II. c. 2. §. 5. Principi autem in rebus, iure diuino non interdictis, omnino oportet morem gerere. Illud enim salus ciuitatis requirit, HOBBES. de ciu. c. 5. §. VI. p. m. 37. Subditi namque vilioris fortis feris inhiantes, otio & latrociniis facile assuecant, ad paupertarem rediguntur; arua enim, domesticas curas, opificia, aliaque urbana negligunt negotia. Et armis instructi ad rebelliones promtores paratiioresque sunt. Quae omnia Princeps a suis auertere debet. Nam pacto se obstrinxit, quod de Vniuersitatis salute & defensione maxime sollicitus esse velit. Electio vero mediorum, quae moralitatem suam ex fine consequuntur, conscientiae Principis permitti debet, modo cum pracepto aliquo diuino non pugnant, GROTIUS lib. 3. c. 1. §. 2. HEIDERVS, in gründlicher Ausführunge der Reichstadt Lindau, p. m. 118. Württemberg. Ord. 2. Theil von der Wildfuhr, p. m. 116. PRÜCKMANN, apud FRITSCHIVM in corp. iur. venat. p. 14. Franciscus I. Rex Galliae paganis indistincte ius venandi prohibuit, etiam in fundis, quos quoque modo a Nobilibus possidendos habebant. Henricus Patris edictum leniuit, sanxitque, hoc saltem intelligendum esse de vilibus, & temporariis agrorum colonis, non de proprietariis. Cum vero rustici venatores licentius grassarentur in siluis ac praediis, Carolus IV. anno 1326. edixit, ne ignobiles tela aut instrumenta venatoria domi haberent, alias mulcta extraordinaria coercendos fore. CHOPPINVS tract. de leg. Andegau. p. m. 245. Nec tantum supremam potestatem ciuilem in

in Republica habentibus: Sed & aliis, qui superioritate territoriali non gaudent, licitum est, sibi obsequio & subordinatio ne addicatos ad nullam venationis copiam admittere. DECIA NVS *respons.* 22. n. 21. SVR DVS *consil.* 319. Qui hic in negatiuam discedunt sententiam, vt MENOCHIVS *consil.* 298. BETAZOLLVS *consil.* ciuil. 21. n. 44. videntur afferere, Nobiles sibi subiectos iure venatus, si quo gaudent, priuare non posse, nisi iustae ad sunt causae. Vide de FRANCH. *decif.* Neapol. 158. p. m. 88. edit. Venet. Causas, quare Princeps subditis facultatem venandi eripere potest, Antonius de PETRA, de potestate Principis c. 7. n. 10. recenser. Sic HONDEDVS *impingit*, & DECIVS *Consil.* 197. qui plane nullis ex causis subditos a iure venatus excludi posse putant.

(d) In Galliae certis terrarum spatiis, ius venandi quaslibet feras, vt & venatus minor ex voluntate Caroli VI. ubique promiscui erat iuris. Hinc in silua Mans omnes venari possunt. Terrae Brunsuicenses, quosdam habet agrestes, quibus ex speciali priuilegio facultas concessa, in certa plaga feras captandi. Mihi videtur istis paucioribus, plerumque in confiniis habitantibus, ius venandi esse datum, vt se ad bellum, & arcendum hostem a limitibus, idoneos redderent, atque sic eum delectus esset faciendus, apriores essent ad militiam, ad instar Romanorum illorum, quibus agri limitanei, similitudinem quandam cum feudis nostris habentes, attributi erant, Cod. Theod. lib. VII. tit. XV. Jam vero istam facultatem Princeps non solum circumscindere, v. g. vt tantum patribus familiis vna aut altera vice per septimam, vel mensem, concessa sit venandi potestas, scilicet si priuilegio abutantur: sed & eripere potest. Per abusum enim priuilegia amittuntur, ZOESIVS *ad lib.* 1. tit. IV. *Digest.* n. 29. Nec priuilegia in praeiudicium tertii data valent, GRAT. *discept.* fo ren. tom. IV. *Discept.* DCXL. p. m. 91. multo minus, quando Reipublicae sunt noxia, & tunc sunt reuocanda. MAEVIVS *part.* VI. *Decif.* 420. p. m. 140. Limitaneis istis rusticis, priuilegium hoc est concessum, cum nondum perpetuus sub signis esset miles, vt eorum ope insultus hostiles reprimi possent. Ex quo au tem Princeps eorum opera non amplius in profligendis viri hosti-

hostibus; privilegium, quod habebant, evanescit. Nam conditione aut modo, cui priuilegium adhaeret, sublato, ipsum tollitur priuilegium. *Abbas circa finem, de V. S. DECIVS Conf. 271. n. 17. Vol. 2.*

## §. XII.

Quodsi vero quis a iure venandi exclusus in siluis aut campis dominicis feram obtruncat, atque in suam redigit potestatem, duriores (a) non illico adhibendas putamus poenas.

(a) Non desunt, qui opinantur, in ferarum fures maiori adhuc poena animaduertendum esse, quam in fures aedium violatores; cum facilitiori negotio fera animalia occupari, quam res domesticae abripi possint, igitur maiori etiam poena aduersus transgressorum imperum munienda esse, ad exemplum Romanorum, qui non quidem simplices fures, abigeos tamen ad gladium damnare solebant, l. 1. ff. de abigeis: Verum poenam gladii, hic non de ultimo supplicio, sed de ludo gladiatorio esse intelligendum *CVIACIVS 13. Obscr. 10. putat*, vid. *MATTH. de criminibus ad tit. 1. & 14. lib. 47. ff. p. m. 97. & 234. AVTOR collat. leg. Mosaic. & Roman. tit. XI. §. VII. PETR. FABER Semestr. lib. II. c. 2. p. m. 146. & seqq.* Sed, licet hic per gladium mortis poena intelligi debeat: Attamen hanc poenam abigei non patiebantur, nisi frequentius hoc genus maleficii commisissent. l. 1. ff. de abigeis. Quo etiam respicere putatur, Carolus Quintus in crimin. constit. c. 169. in piscium fures ultimum statuens supplicium. Pertinacia enim, praeter ablationem rei alienae, etiam inobedientiam & contumaciam Superioris in se inuoluta. Placent, quae hac in causa in *Württemberg. Ordinat. part. 3. pag. 3. reperiuntur.* In Ducatu Guelferbytano poena est arbitaria, *Fürstl. Braunschw. Constit. p. 243. seqq. vbi Constitutiones, de an. 1567. 1588. 1621. comprehendere licet.* In Constitut. Ludou. Rudolphi de an. 1732. est. *Bey Vermeydung schwerer, auch dem Befinden nach, Leib- und Lebens-Straffe sc. in Ducatu Cellensi. Gesängniß, und andere unnachlässige Bestrafungen, Zellische Ordin. p. 401.* Qui in Electora-

Electoratu Brunsuicensi phasianos capiunt, arbitrarie puniuntur,  
 per Constit. de an. 1691. Junge Constit. Georgii I. M. Brit. Re-  
 gis, vt Elect. Hanouerani, de an. 1711. Guilielmus Rufus in  
 Venatores peregrinos saevis erat, EAD MERVS lib. 2. Hist. nouar.  
 p. 48. Henricus I. Rex. Angl. Ceruicidas parum discernebat ab  
 homicidis. Henricus II. huiusmodi transgressores carcerali cu-  
 stodia, sive exilio, ad tempus puniuit. Richardus I. in Aissa  
 de forestis, apud Rogerum Houedenum veteres leges in usum re-  
 vocauit, statuitque, vt, qui de venatione & forestis furtu fecis-  
 sent, vt oculos & testiculos amitterent, Du GANGE gloss. t. 2.  
 p. 485. quae tamen poena postea ab ipso Richardo est subla-  
 ta. Rex Richardus militem, qui saepissime Regias macauerat fe-  
 ras, in exilium misit, & sic mutauit poenam, a maioribus suis in  
 ferarum furtum statutam, vt furi eruerentur oculi, abscederen-  
 tur virilia, manus vel pedes truncarentur, MATTH. PARIS. in  
 Henrico III. p. m. 373. edit. Lond. Ioannes I. in Constit. pro fo-  
 rest. de anno 1215. nullus de caedero amitterat vitam vel membra  
 pro venatione nostra, si aliquis igitur fuerit & coniactus de ca-  
 ptione venationis, grauiter redimatur, si haberet, unde redimi pos-  
 sit. Eduardus I. in magna charta libertatum Angliae c. 10. ve-  
 tuit, ne illus de coetero vitam vel membra amitteret, pro ve-  
 natione Regia. Mitiores igitur in crimen hoc, non saepius rei-  
 terato, sunt merito adhibendae poenae. Et hominem ad imagi-  
 nem Dei conditum ferreis in cerui dorso alligari iubere catenis,  
 aut statim alio modo vira priuari, vel membris truncari, durum  
 fane & ab aequitate naturali alienum arbitrareris. Horribile est  
 furem ferarum corporis poena plecti, sed satis est, si duplum vel  
 simplicem solueret, & plagas aliquae instrumenta perderet. Sebasp.  
 MED. de Venat. quaest. V. Niemand kan an Vogel, Fisch und  
 wilden Thieren sein Leben verwircken, Landrecht lib. 2. art. 26. Iung.  
 BAIERI Specim. Iur. Germ. lib. II. c. 15. STISSERI Hist. Venat.  
 Forest. c. X. Praxis hic, quod in furtis est statuum, nisi aliud  
 lege vel consuetudine locum habeat, sequi solet. Quod autem  
 in nobilium siluis, ferarum committentes furtu, mitiores sint  
 puniendi, quam qui illud delictum in principum siluis perpe-  
 trarunt, nulla nititur ratione, quoniam hic non respicitur, ad  
 quali-

qualitatem regalium, sed ad qualitatem furti, quae aequa in furto ferarum, quod in nobilium, quam quod in principum filiis fit, locum habet. Suspicor aliud sententiam opinionem ICTORUM QUORUNDAM errori, quod a venatione in nobilium filiis alii excludi nequeant, deberi. Vid. MENOCH. Conf. 298. & BERTA. ZOLIVS Conf. Crim. 21. n. 44.

### §. XIII.

Seruitutem (a) venationis a Nobilibus aliquo*rum* huius iuris capacibus per praescriptionem (b) amitti posse, nullum habet dubium. An vero idem quoque in Principibus, nullum in territoriis suis superiorem habentibus, obtineat, est in controv ersia. Sunt, qui putant, ius venationis in Principibus, ad Regalia (c) minora, aut, ut aliqui putant, ad domania (d) spectans, praescriptioni nec immemoriali (e) subesse. Aliter autem GROTIUS lib. 2. c. IV. de I. B. & P. docet. Ea vero, inquit, quae de summi imperii natura non sunt, nec ut proprietates naturales ad eam pertinent, sed aut separari ab ea naturaliter possunt, aut saltē cum aliis communicari, omnino subiacent legibus populi cuiusque ciuilibus, quae de usurpatione & praescriptione factae sunt.

(a) Inter Iureconsultos acerrime controv eritur, quaenam sit seruitus venatio, si a priuato, id est, non principe alicui in suo fundo aut filia constituitur; an iurisdictionalis, an personalis, an realis. Sunt, qui putant, nec esse realem, nec personalem, sed seruitutem iurisdictionis, quae naturam realis seruitutis haber. conf. EIBEN de iure venandi s. XIV. Sed in dubio venandi ius

ius magis territorio, quam iurisdictioni adhaerere, tradit CAR-  
POVIVS, *Iurisprud. For. R. S. parte III. Constat. XXXII. de-*  
*finit. XVI. n. 12.* Venationem non pertinere ad iurisdictionem, in Gallia quoque recepti est iuris, BVGNYON *loix abro-*  
*gées p. 484.* Alii ex Germaniae consuetudine nouissima seruitutem esse realem opinantur. ZASIVS *confil. 6.* SCHVRFIVS  
*cent. 3. confil. 1. n. 42.* MODESTINVS PISTORIVS *confil. 14. n.*  
*29. 30. vol. 2.* KNICH. *de vestit. pacif. c. 2. n. 24.* KLOCK. *de aerario*  
*lib. 2. c. 5. n. 3.* GAIL. *lib. 2. obseru. 66. n. 66.* Thomas MICHAEL,  
apud KLOCKIVM *vol. 1. confil. 29. n. 249. vot. Cameral. relat. 123.*  
*n. 16.* Verum hoc a veritate abludere, contendunt BOCERVVS &  
HARPRECHT, apud EIBEN. *de iure venandi §. XIII. GRAEV.*  
*conclus. 66.* ait: *Ius venandi potius seruitutibus realibus esse an-*  
*numerandum, quam quod per se seruitus realis sit.* Interim ZA-  
SII opinionem in praxi obseruari, testatur MOR. *de iure venandi*  
*part. 2. c. 3.* WESENBEVICVS *c. 1. n. 2.* *de feudis, seruitutem per-*  
*sonalem vocat.* Hanc etiam sententiam fouet BALDV in. *l. pen.*  
*n. 12. col. 3. vers.* ita si debeas mihi seruitutem. C. *de condit. insert.*  
Horum opinio refellitur a BOCERO, *disputat. 23.* & HARPRECHT.  
*§. 12. Inst. de rev. diuis.* quoniam seruitus personalis cum per-  
sona, cui data est, expirat, ius venandi vero ad haeredes & po-  
steros transmittitur. Ego puto, modo realem modo personalem  
esse seruitutem. Si enim intuitu potissimum personae concedi-  
tur, est personalis, si vero intuitu rei, ita ut ad haeredes & po-  
steros sit transitoria, est realis.

(b) Non desunt, qui venationem praescriptionis legibus  
plane non subesse, arbitrantur, cum venatio etiam in alieno fundo  
ex iure gentium sit libera, vnde Doctores colligunt, esse rem  
mere facultatis, & sic praescribi non posse. In rebus enim me-  
re facultatis nulla inducitur praescritio, l. viam publicam ff. de  
via publica. Panorm. in c. abbate n. 10. de verb. signif. Nec  
in seruitutibus aliquis iuris iuribus negotioris induci consuetu-  
dinem, ita ut ius venandi non possit praescribi, nisi a tempore  
prohibitionis. Verum enim vero haec facile eueriti possunt.  
Nam venatio hodie apud omnes pene gentes, ex pactis aut lege,  
iure naturae non impediente, desit esse communis, atque sic

L

non

non amplius est res merae facultatis. Et quamvis venatio esset mere facultatis, ingressus tamen in alterius fundum non esset eiusdem naturae, cum non liceat ratione iuris sui per alienum ire fundum, nisi ibi seruitus constituta sit. Si quis per eiusmodi fundam vno anno tricinta vicibus non impeditus iuerit, acquirit quasi possessionem iuris eundi, & lapsu tanto tempore, quod ad praescriptionem sufficit, proprietas eiusmodi iuris praescribitur. PANORMIT. in c. cum ecclesia n. 23. & seq. Paulus de CASTRO in l. diuus ff. de seruitut. rust. praed. Nec venatio siue ius ingrediendi alterius fundum, est proprie seruitus negatoria, sed potius affirmativa, vt ostendit SCHVRFIVS, in iam citato confilio, vide MODESTIN. PISTOR. l. c. p. 271. Quod tempus attinet, huic praescriptioni inseruiens, omnes seruitutes ex l. 13. C. de seruitutibus & aqua, inter praesentes X. inter absentes vero XX. annis praescribuntur. Si vero seruitus praedialis habet annorum vel mensium vel hebdomadum interuallum, tunc duplicatur tempus. l. 7. ff. quemadmo. seruit. l. f. C. de seru. & aqua. BE-SOLDVS in consil. Tubing. p. m. 416. Qui autem contra nos venationem praescribere vult, oportet vt quasi possessionem suam per actus possessorios probet: Aduersus principem autem, quando de regalibus fiscalinis agitur, non nisi possessio titulata allegari potest, V. Cap. IV. Deductionis, pro regali venandi iure, in Ducatu Luneburgico, & actus possessori per testes sunt probandi. Non tamen reliqui probandi modo prorsus excluduntur. Et quamvis testes singulares de actu aliquo depo- nentes regulariter non probent, MARSILIVS in repetit. l. vlt. C. de probar. ubi in Nobile indubitate fidei exceptionem admittit: Hoc tamen in iurisdictione & seruitute obtinere, Felinus in C. licer ex quadam, statuit. Vnde in probatione venandi seruitutis, putant quoque sufficere, si vnum testis deponat de uno actu, alius de alio, MYNSING. cent. 2. obseru. 20. GAIL. lib. 2. pract. obseru. 66. n. 10. & 11. Notum est, circa seruitutum discontinuarum praescriptionem Doctores in diuersas abire par- tes. DONELLVS lib. 2. c. 2. WESENBECK. ad tit. ff. de seru. n. 6. 7. nullam aliam, quam immemorialem admittunt, quibus CORA- SIVS in l. seruit. praedior. rust. MYNSING. cent. 4. obseru. 53. MOR. de

*de venat. part. 2. c. 7. n. 14.* aduersum tenent. Verum Donelli sententia in praxi est recepta. v. *Deductio pro regali venandi Iure, in Ducatu Luneburgico l. c.* In foro Saxonico quoad venationem in fundo alieno idem viderur habere locum, quod in praxi communis. CARPZ. *iurispr. forens. R. S. P. II. Constit. III. definit. XXXV.* Priuilegium autem venandi priuato in proprio fundo concessum praescriptione statutaria iuris Saxonici triginta annorum anni & diei perit. CARPZOV. *parte III. Constit. XXXII. definit. XVIII.* Et hoc ex iure communiter recepto originem trahit, ex quo omnia priuilegia etiam maxime fauorabilia per triginta annorum non ysum, desinunt. FABER in *Codice lib. VII. tit. XIII. definit. IX.* Si saltem talis reperta fuerit ferarum copia, ut priuilegium habens suum exercere potuerit ius. CARPZOV. *l. c. n. 4.*

(c) Iuris Interpretes, qui venationem ex numero Regalium remouerunt, ut DECIVS, TIRAQVELLVS, MATH. WESENBECKVS in parat. ff. de acquir. rer. domin. BO CERVUS de Regalibus l. c. 1. VVLTEIVS de feudis, lib. 1. c. 5. f. XX. aliquie, aut contenderunt, eam non spectare ad Regalia maiora, quae proprie ad essentiam & existentiam maiestatis requiruntur, EINSIEDEL de Regal. c. 1. n. 28. 29. Aut minuscula quoad ius commune eo non esse referenda, sed tantum ex generali ferme totius Germaniae consuetudine, SIXTINVS de Regalibus lib. II. c. XVIII. n. 31. 44. 45. f. 46. Et itaque eandem videntur sectati esse opinionem cum illis, qui venationem inter Regalia collocarunt, quorum numero sunt HEIG. quaeft. 15. n. 54. & seqq. DECIANVS resp. 22. n. 22. aliquie aquid GRAEV. conclus. 68. n. 3. & 4. Confer. ROSENTH. de feudis cap. V. concl. 94. HEIDERI gründliche Ausführunge ic. p. 117. 118, CARPZOVII *Iurispr. forens. parte III. constit. 32. def. 17.* PRUCKMANN apud FRITSCH. in corp. *Iur. venat. foreft. p. 5.* Illi, qui venationem ad Regalia referre timent, haesitationis suac & hanc adducunt causam, quod 2. f. 56 nullum inter Regalia habeat locum: Ast haec dubitatio nullo nititur fundamento; cum l. c. non omnia enarrerunt Regalia; sed tantum ea, quae Friderico Barbarossa ab Italis restituta erant, ut ex GUNTHERO, Abbe Vippergensi, & RADEVICO monac. CVIA.

CIVS, ad c. vn, quae snt Regalia, tom. 3. p. m. 744. Veriorem  
 puto esse sententiam, siluas & iura venatus, quae nec sunt Nobili-  
 lum, illi enim proprie dicta non habent Regalia, nec ex priuato  
 Principum patrimonio, a rebus principatus distincto, quod in-  
 star bonorum priuatorum est, FABER lib. VII. C. tit. 12. definit. I.  
 sed ad patrimonium populi, Principi ad sustentanda Reipublicae  
 aut suae dignitatis onera concessum, pertinent, merito Regalibus  
 minoribus esse annumeranda. Miror, in tanta rationum & do-  
 etorum harmonia, quae ab auctore, paulo ante citatae Deductio-  
 nis, Cap. III. & IV. clarissime ob oculos posita est, adhuc esse,  
 qui ius venandi, intuitu principum nostrorum, regalibus minoribus  
 accensere reformidant. CONRINGIUS de Republica anti-  
 qua Veter. German. Tom. I. Conringianor. p. 15. affirmat, venatio-  
 nem per mille, & quod excurrit annos, inter regalia numerari  
 coepisse. Nec videtur veteri aevo appellatio illa prorsus inco-  
 gnita. Memini, me in antiquis quibusdam diplomatis legisse:  
*regalia quaedam iuris nostri*, quorum in numero etiam venatio  
 fuit. Vocantur quoque *res iuris nostri* (imperatoris.) In Di-  
 plomate Ottonis I de ann. 953 est, *omnem videlicet piscacionem*  
*in Almere ad nostram regalitatem habuumus pertinentem.* HEDA  
*in Hist. Ultraiect. p. 87.* Germaniae autem, aequa ut aliarum  
 gentium, ius publicum mutationibus solet esse obnoxium. Et  
 quis bonus ciuis praesenti rerum statu nollet esse contentus, Re-  
 rum publicarum rectores etiam, silentibus & non contradicenti-  
 bus subditis, quaedam iura acquirere possunt. Ineptus profe-  
 sto foret labor, si quis, vetus & exoletum illud TACITI: *Reges*  
*apud eos magis suadendi, quam imperandi valent potestate*, quod  
 ad rerum publicarum democraticarum, quae TACITI aevo per  
 Germaniam, frequentissimae erant, spectat, ad nostrorum tem-  
 porum statum accommodare vellet. Principes nostri tantum ho-  
 die in territorio, quantum olim imperator in imperio, possunt,  
 quatenus scilicet pacta, cum Augustissimo Imperatore inita, po-  
 testati illi limites non ponunt. A veritate Historiae Germa-  
 nicae omnino abhorret, venationem pro necessario fundi acces-  
 sorio habitam fuisse. Inter fundi res pertinentes nonnunquam  
 venatio numerabatur, & siluae fundis adhaerentes, sine ven-  
 atione ad donatarios aut emtores transibant. Si siluae venandi  
 ius

ius accedere deberet, id singulariter exprimebatur, aequo ac si aquae cum piscationibus deueluerentur. De hoc vtpote tot testantur diplomata. Speciminum loco aliqua tantum eorum allegabimus. In Diplomate Henrici II. de an. 1009. quo Balduino Episc. Leodiensi donatur silua, quae dicitur *Heua*, adsunt verba, *cum banno nostro ceterisque eius pertinentibus.* CHAPEAVILL. Hist. Ep. Tongr. & Leodiensi. Tom. I. p. 224. Henricus III. in Diplomate, apud HVNDIVM Tom. I. Metropol. Sal. donat man-  
sos C. faciendis & p/us, cum omnibus ad eum pertinentibus man-  
cipiis utriusque sexus, ecclesiis, villis, aruis cultis & incultis, a-  
gris, pratis, campis, siluis, venationibus, forestis, forestariis.  
Eadem verba occurruunt in Diplomate Henrici IV. apud HVN-  
DIVM, Tom. I. p. 245. Add. Diplomata, in VGHELLI in Italia  
Sacra, Tom. V. p. 52. A. p. 67. 69. C. in fine, p. 70. A. B. p. 71. D.  
p. 816. B. p. 1034. p. 1042. p. 1254. in LUNIGII porro Arcb. Imp.  
Spicil. Eccles. Part. II. Cap. IV. Tit. Freysingen §. II. p. 217.  
218. & tit. Maintz. §. 8. p. 16. nec non Contin. 2. 3. Membr. 4. Sect.  
12. §. 6. p. 7. ut & in SCHATEN. Annal. Paderbornensis Tom.  
I. p. 451. 52. 1453. 54. 471. 77. 553. 55. vbi forestum & bannus con-  
iunguntur, & quae ex innumero fere diplomatum numero, ex-  
cerpsit loca, Job. Frid. PFEFFINGER, in Vitriario Ill. Tom. III.  
ad Tit. 18. §. 8. p. 1363. 1389. Occurrunt denique chartae i-  
dem habentes, inter Diplomata Quedlinb. a KETTNERO colle-  
cta. Si autem venatio fundi aut siluae fructus aut pertinens sua  
natura fuisset, illam specialiter exprimere, non fuisset necesse.  
Neque Veteribus Germanis in more erat, ob exuberantissimam  
eorum bonam fidem, superflua adiungere. Sic siluae saepe erant  
in proprietate, ius venandi autem ad principem spectabat. Hen-  
ricus II. Baldrico Sanctae Leodiensi Ecclesiae Praefuli, nec non  
Balderico Comiti, super eorum proprias silvas, quae sunt inter  
duo illa flumina, quae ambo NIETHE vocantur, & tertium, quod  
THILA nominatur, sive, & quae perrinent ad illas villas, Heisse  
& Heisten, ac BADFRIDO nec non MACLINES nominatas, quod  
tamen totum WANERWALD appellatur. In Comitatu vero Go-  
rizonis comitis, qui ANTWERF dicitur, situm per hanc nostram  
praceptalem paginam concedimus atque largimur, & de nostro  
iure,

ture, in eorum ius ac dominium transfundimus, ea videlicet ratione, ut praescripti BALDERICI de praenominato banno eiusque utilitate debinc liberam habeant potestatem faciendi, sunt verba Diplomatis, in vita saepius dicti Balderici Ep. Leod. ap. CHAPEAVILL. Hisp. Ep. Tongr. & Leodiens. Tom. I. p. 225. Tot traditiones & donationes piae priuatorum, quibus medium aevum celebratur, silvas sine venationibus reuerentes, satis ostendunt, illo tempore venationis maximam partem apud reges & principes fuisse. Vid. MIRAEI *Opera Diplomatica* & SCHANNATI *Traditiones Fuldenses*. Multa etiam adhuc hodie dantur praedia, quae allodiorum numero sunt, venatio autem ei quodammodo coniuncta, feudi rationem habet. Nec omittendum in permultis inuestiturarum litteris, principes de banno ferino seu venatione, ut singulari regali ab imperatore inuestiri. Nec naturae regalium acuersatur, quod venatio, ad priuatos pertinens, aliam induat naturam. Nam notum est, varias entia moralia accipere mutationes, ratione personarum, quibus per vices competit. Quod si vero per aperturam feudi ad principem redeunt, priuatin recuperant qualitatem moralern.

(d) De Principum, variis imperantium gentibus, patrimonii, SCHOPPINVS, de origine & auctoritate Regii patrimonii, agit. Illius, qui res Romanas summo moderatus est Imperio, duplex ostendit fuisse, publicum & priuatum. Publicum rursum seu fiscale Principis patrimonium distinctum fuisse ab aerario Reipublicae, quasi priuatas a publicis imperii facultatibus. Fiscus continebat fructus patrimonii publici ad tuendam dignitatem Regis ac Regiae familie a populo assignati: Aerarium vero pecuniam publicam ad ferenda Regni onera conglomeratam, cuius administratio Principi competit. Haec ad Germaniam nostram, ni fallor; COCCEIVS Cap. IV. n. 18. I. P. applicat. Penes Romanos tandem, publica illa omnia Principes cooperunt fisco suo destinare, ita ut sensim diversitas pene omnis inter frustum & aerarium fuerit sublata. CHOPPINVS l. c. p. m. 5. Patrimonium publicum, cuius proprietas est penes populum, aut in feudo penes dominum directum, fructus ad sustentanda Reipublicae aut Regiae dignitatis onera destinati, vocabulo a Gallis mundo

tuo sumto, *domaine* siue *domania* vocantur. Olim etiam in gente Francorum moris fuisse, ipsi thesauri nomem impertiri ex PAS-  
QVIER *Recherches de la France* L. II. c. VIII. p. m. 88. constat.  
Quaenam in Gallia ad domanium Regis spectent, ex CHOPP.  
L. c. tit. II. & seqq. hauriri potest, vide & HOTTO MANNVM in  
*Franco gallia* c. IX. p. m. 99. seqq. Bernard. de GIRARD in  
libro de l' *Etat & succes des affaires de France* lib. 2. p. 270. pri-  
mas Domanii radices in terris Regi a populo in vitae necessaria  
concessis, ab eo vero aliis concreditis, ut earum emolumenta  
certa pecuniae summa, aut definito fructuum numero Regi  
praestando redimerent, collocat. Ferme ad istum modum, quo  
Malcolmus totam terram Regni Scotiae distribuit hominibus  
suis, excepto monte placiti Sona, vbi Regiae habebantur curiae,  
eo pacto, vt sibi concederent *wardam* & *releuium* de ha-  
rede cuiuscunque Baronis defuncti, ad sustentationem domini  
Regis. Quid voces *warda* & *releuium* significant, vide apud  
SKENAEVM ad c. I. leg. Malcolm p. m. 1. b. Interea & ipse Prin-  
ceps in Gallia postea quaedam vtenda fruenda retinuit bona,  
quae sub nomine dominicatorum siue dominicalium beneficiis  
contra distinguebantur. Postmodum vero domanium ingentia  
sumvit incrementa, cum successu temporum Regis splendor &  
Regni negotia maioribus egerent sumtibus, GIRARD. l. c. p. 271.  
b. seqq. & CHOPP. l. c. Et quidem in tantum auctum est, ut  
tempore Caroli VIII. decem centena millia librarum gallicarum  
exhauriret, quam summam sibi solam ad familiae Regiae onera  
ferenda sufficere debere, constituerat Carolus VIII. *Memoires de COMINES* lib. VIII. c. XVIII. p. m. 592. Heu! quam leuis  
summa, intuitu eorum, quae denatus Gallorum Rex miseris suis  
extorsit subditis. Domania stricte dicta (bona Coronae) a bonis  
Cameræ, redditus priuati principis Patrimonii complectentibus,  
esse distincta, putat ECKEL c. 3. de bonis doman. Principum Ger-  
maniae: at vsu videtur esse receptum, redditus tam publici, quam  
priuati Principis patrimonii vocabulo Cammer-Güter insigniri.  
Arduum enim est, bona coniunctim Principali domo per multa  
annorum spatia adhaerentia, vt par est, a se inuicem distingue-  
re. Nuper tantum e Gallia ad nos transmissam domanii vo-  
cem

cem se Camerae affricuisse bonis, LYNCKERI est sententia *resp.* n. n. 18. qui & bona mensae Clericorum olim destinata, seculo restituta sub Camerae bonis comprehendendi quidem, ratione alienationis vero inter virumque saluam manere differentiam *l. c. n.* 32. opinatur. De his in progressu dicendi erit occasio.

(e) Galli, vbi ex re eorum est, cum *VASQVIO lib. 2. controuers. illustr. c. 51. n. 36.* praescriptionem sive derelictionem praesumtam, vt inuentum mere civile & ciuilissimum a rebus Regni & Regis exulare, palam profitentur. *MAIMBOVRG. Histoire de la decadence de l'empire. La Recherche des droits du Roy par CASSAN.* *Aucun acte civil ne peut detruire le droit de Nature.* Epistola Regis Galliae apud *Comitem d'ESTRADES tom. 1. p. 215.* Quod si vero suis fuit commodis praescriptio, ad eam configunt. *CASSAN liv. II. chap. IV. p. m. 591.* vbi de iure Galliae Regis in Rempublicam Genuensem agit. Quae etiam erat mens *Ludouici Gonzagae*, apud *THVANVM bistor. lib. 59. ad annum MDLXXV.* vbi in scripto coram Rege recitato ait: *Nec vero Principes, si rogentur, quo titulo tot provincias possideant, quod respondeant babere, quam eas ita a Parentibus accepisse.* vide *ZYPAEI hiatum CASSANI obstr. p. m. 11.* Domania esse inalienabilia, & praescriptionem etiam longissimi temporis (*immemorialis*) locum non habere in rebus summi Imperii iura spectantibus, *PVFF. ver. Brand. lib. XVIII. §. 14. p. m. 1398.* Galli cantant, & hoc quidem non primum lege quadam speciali, sed omnium Regnorum communi. *RAGEAV en l'indice des droits Royaux p. 237.* Hoc errore suffulti rapaces suas vngulas multis imperii terris, sub reunionum praetextu, suadente Rolando Ravaulx, Consiliario Parlamenti Metensis, incercere Galli, *PVFFEND. l. c. §. 14.* Et vt res maiorem adhuc consequeretur speciem, trium Episcopatuum, ipsis ab Imperio per *Pacem Osn. Mon. cessorum, Pax Ratisb. art. XV. Inst. P. G. §. 70.* Praesules instigarunt, vt per libellum supplicem Galliae Monarchae auxilia implorarent, quo bona Antecessorum negligentia amissa, ipsis restituerentur, *de contraindre ceux qui en jouissent a titre d'engagement, d'echange, ou par l'usurpation, de les décharger au profit de leurs églises.* Ex quo deinde Meti Camera reunio-

reunionum est erecta, iubente Rege, in epistola anno 1679 Parlamento Metensi inscripta; ea deinde integros Ducatus, ut Bipontinum, vide decretum Camerae reunion. Metens. de anno 1684. 10. Ian. & Comitatus, ut Hanau-Lichtenb. Decret. Cam. eiusdem anni 8. Ian. Regi suo vindicare voluit. Alia Reunionum Camera, Brisaci instituta, multa terrarum spatia Praefecturae Hagenauiensis & vtriusque Alsaciae Landgraviatui, itidem ipsis in pace Westphalica attributorum, reunire molita est, Rescript. Reg. Gall. de anno 1680. 2. Ian. *THOLOSANVS de Republica lib. III C.VII. n. 2. p. m. 129. & seqq.* rationes quasdam afferit, quod Domaniorum alienatio iuri gentium repugnet, omnemque hic cefare temporis obiectam praescriptionem: Sed rationes ipsius debito videntur carere valore. Non enim sequitur, substantia est immutabilis, ergo & accidentia. Quid si enim Princeps consentiente populo aliquid ex patrimonio publico alienaret, omnino actus valereret, quilibet enim rerum suarum est arbiter, atque nihilominus Respublica salua & perpetua maneret. Nec maiori nititur efficacia, Patrimonium publicum est sanctum & inviolabile, igitur neque alienari, neque vla amitti potest praescriptione. Deinde petitio principii est, bona, quae Principi a Republica committuntur, vbique restitui; vt & Principem consentiente populo, ad istum modum, quo maritus nec consentiente vxore dotem alienare potest, domania distrahere non posse. Nam illud est ex iure ciuili Romano, quod Reges & populum non obstrin-  
 git, *GROTIUS de I. B. & P. lib. 2. c. 6 f. 3.* Imo, quae in iure Romano l. 30. f. fin. C. de iure dotium reperiuntur, quod res doralis, quam diu talis maneat, non possit praescribi, videntur restringi debere ad terminos praescriptionis communis. Nam praescriptione immemorialis, nunquam censeretur exclusa, quantumque lex vel statutum utatur terminis generalibus, *Volum. IV. Consil. 37. n. 664, & vol. 3. Consil. 21. n. 87, Marp. BOER. dec. 39. n. n.* Et sunt, qui putant, dotem praescriptioni 40. ann. subesse. *LYNCK. respons. II. n. 102.* Ultima *THOLOSANI* ratio, de iuramento, quod Reges & Principes rerum potientes, de non alienandis bonis dominii principatus, eriam claudicat. Nam licet Princeps contra suum agens iuramentum fiat perjurus, inde nullum alterius iuri quaesito damnum exoriri potest, si in re per se

licita versaretur. Denique ista iuramenta non ubique habent locum. Sic in Germania nostra plerique principes a tali iuramento sunt liberi. Interim GROTIUS lib. 2. de I. B. & P. c. VI. §. X. assentior: Patrimonium populi ex Iure Naturae dictamine Principem alienare non posse, cum eius non sit plenus dominus, sed, ut GROTIUS loquitur, tantum fructuarius: Exinde tamen nulla procedit consequentia, igitur talia bona, diuturnitate temporis necessaria quiete possessa non possunt acquiri. Nam non omnia, quae iure Naturae repugnat, statim fiunt irrita, GROTIUS de I. B. & P. lib. 2. c. 5. §. X. Praesumtio est, populum tanto temporis tractu circa patrimonii sui vindicationem nihil mouentem, tacite iuri suo renunciasse. Cum haud dubie, rem istam sui patrimonii a Principe esse alienaram, intra tot annorum tempus, ad ipsius peruererit notitiam. Haec tamen saltem habent locum, si populus agere potest, GROTIUS l. 2. c. IV. §. V. n. 3. & 6. Nam quod ab initio vitiosum est, trahit temporis conualescit, noua scilicet accidente causa, quae hic est tacitus populi consensus. Huc spectant, quae habet GROTIUS de I. B. & P. lib. II. c. VI. §. XI. Sed in rebus modicis, quam in magnis consensus populi ex scientia & silentio facilius praesumitur. Regem plenum habentem imperium, sed non plene, valide partem patrimonii publice oppignorare posse, GROTIUS l. c. §. XIII. probatum it. Non ignoro, varia esse regna, vbi speciali quoque lege alienatio bonorum Coranae, absque consensu populi, est interdicta, ut in Gallia, GIRARD. liu. 3. p. 173. Ordinum Galiae consensum ad alienationem domaniorum necessarium esse, ex GVICCIARDINO quoque, lib. 17. pr. Hist. p. m. 3. Inventaire de l' Histoire de SERRES p. 378, LIMNAE notitia Regni Franciae p. m. 604. liquet. Potissimum eiusmodi leges in Gallia factas esse, post tempora Francisci I. qui ferme totum distraxit domanium, PAPONIUS lib. V. tit. 10. arrest. IV. p. m. 132. verisimile habetur. v. Constitutio Henrici III. alienationem domanii prohibens, dans ses ordonances, art. 331. au chapitr. de la Noblesse: *En alienations & delaissement des terres de nostre domaine, a quelque titre, que ce soit ne pourra, parcy apres estre fait par nous, ni par nos successeurs Roys aucune cession de droits de nomination des offices extraordinaires des dites terres, ny semblablement des droits Royaux dependans de notre Couronne, comme y etans inseparables.*

separablement unis annexes. GIRARD. p. 273. duos putat exceptos esse casus, vbi domaniale alienatio valide fieri potest, primo in apanagium minorum natu, secundo ad repellendum hostem, si alii desunt nummi. Aliqui existimant, hic Ordinum consensum esse necessarium, & tum demum fieri posse, si hostis ipsos Regni superauerit limites. BRITTON. liu. 3. cb. 1. p. 326. putat Parlamenti & Camerae rationum legitimam sufficere confirmationem. Moris olim erat in Gallia, ut Regiae epistolae, quae valorem debebant habere, a Parlamento confirmarentur, VI. liu. des lettres de PASQ. p. m. 404. Sed quid circa Parlamenti confirmationem fiat, post clausulam Henrici III. dependons a nos Cours de Parlemens & Chambres de Comptes, d' avoir aucun egard aux lettres, qui on pourront par cy apres étres expediees, in suspensi relinquam. In regnis Angliae, Scotiae, utriusque Siciliae, aliisque regionibus similes esse leges, Domani alienationem impeditentes, tetsim habemus CHOPPIN V M de Domanio Gallico lib. I. p. 7. & seqq. Verum enim vero in terris Principum Germaniae rarae aut nullae huius sortis extabunt leges, multo minus ipsam praescriptionem prohibentes. Probe autem bona Principum nostrorum sunt distinguenda. Patrimonialia enim ut priuata legibus territorii omnino subsunt, & licet patrimonio publico admisceantur, tamen retinent naturam suam, OECKEL. thes. 20. p. 155. Nec presumendum, Principem tacite voluisse, ut omnia sua bona publici patrimonii naturam induerent, & cum incorporatio sit facti, omnino erit probanda, OECKEL. I. c. thes. 17. & 18. Quae CHOPPINVS de incorporatione tacita & expressa tit. II. habet, Galliam tantum concernunt, & Imperio nostro nequeunt applicari, LYNCKERI respons. II. praemon. Ea certa ex parte Constitut. Caroli IX. de anno 1566. innituntur. Ad bona priuati Principis patrimonii, fructus patrimonii publici aliquo modo referendos esse, putat GROTIUS lib. II. c. VI. s. XII. Sed PFEFFENDORF. lib. 8. c. 5. s. 8. hic adhibendam esse limitationem, arbitratur. Alia sunt bona Ecclesiae communia, quae absque Capituli consensu in alium transferri nequeunt, alia denique sunt bona mensiae, Tassels Güter, Clericorum alimentis attributa, quae, ob constitutionem Urbani Pontif. I. F. pr. ne tiruli, absque Papae vel Caesaris, fidem dedit, consensu esse inalienabilia, LYNCK. resp. cit. p. 26. condit,

tendit, & licet Archi-Episcopatus vel Episcopatus seculum subeat, bona tamen ista naturam suam retinere, & vitium, quod fuit in prima alienatione, per secularisationem tolli non posse; cum Imperator & Imperium Principi seculari omnia iura, quae Antecessor Clericus habuit, largiantur, & eiusmodi bona, cum in se & in sua natura propter legem sint inalienabilia, etiam nullae subesse praescriptioni. Verum Papales constitutiones, de prohibita bonorum Ecclesiasticorum alienatione, in Italia fabricatas, in Germania nunquam receptas esse, ex SCHILT. *Instit. I. C.* & libro de libertate Eccles. Germ. docet OECKEL. c. IV. de bonis mens. thes. 20. Idem ex RHETII Commentario ad I. feud. long. ostendit, non solum bona mensae in feudum conferri, sed & ex BICHI decisi. 375. ob necessitatem & utilitatem Ecclesiae, liceo plane alienari & praescribi posse, thes. 21. 22. 23. vid. BVSIVS de natura & iure bonorum Eccles. membr. tertio §. 2. p. 351. Patrimonium publicum Principum secularium Imperii nostri, licet & allodialia adhuc quaedam complecti possit: maximam tamen partem naturam feudorum induit. Et ex moribus Germanorum feudalibus Principes omnino sibi facultatem tribuant, etiam absque Imperatoris consensu, non quidem totum territorium, nisi hoc ex speciali obtinuerint domini directi concessione, sed quasdam terrarum suarum partes alienare, ITTERVS de feudis c. XXIII. §. IV. Subinfeudatio minus adhuc habet dubii. Quanquam enim GROTIUS lib. II. c. 6. §. IX. infeudationem sub alienatione proprie dicta complectatur; Attra- men proprie alienatio non est, vbi referuato directo dominio, alteri saltrem redditus concedamus, conf. COCCEII I. P. c. IX. §. 19. Redeamus itaque tandem ad ius venationis, si hoc terrae Principis patrimoniali adhaesit, merito subest terminis praescriptionis ordinariis. In rebus enim, vbi Princeps non vt caput, sed vt membrum coetus civilis consideratur, ibi praesumitur, secundum leges ciuiles viuere velle; At si est fructus patrimonii publici, ex mente Grotii, eandem habet cum bonis patrimonialibus Principis sortem. Vbi tamen, vt supra ex PVFFENDORFIO monui, limitatio quaedam admitti debet. Quod si vero cum iure venandi silua aut praedium ad patrimonium populi spectans alienatum, alienatio, vt ex antecedentibus manifestum est, in Imperio nostro valet, si est modica, vt & eiusmodi bona praescriptione acquiri possint.

possint. Multo minus aliqua, de non alienandis regalibus minoribus adest lex. Venatio, ut insimorum regalium species, in primis si modica tantum eius pars alienata est, reipublicae damnum haud infert. Nam illa salua esse potest, etiam si caput eius angustiores venationum habeat terminos. Enim vero venatio non pertinet ad patrimonium populi, sed saltem non necessarium eius est accessorium, atque sic minus recte referatur inter obiecta, per se & in sua natura inalienabilia, & per consequens etiam non praescriptibilia. Porro pro principe militat praesumtio, quod non sine probabilitatione, haud dubie utilitatem publicam concernente, passus sit, vt tacito vsu aliquis, per temporis lapsum, ex quo animus derelinquendi coniici potest, venandi iure potitus sit. Corruunt itaque Doctorum nonnullorum placita, de praescriptione huius regalis minoris ad iura subditorum non pertinente. Et tyrrannica profecto est doctrina, subditis ius hoc, sufficienti temporis lapsu acquisitum, vt alia ipsis concessa priuilegia, sine causa eripi posse. Nam nulla in Germania nostra reperitur constitutio positiva, qua domania praeescriptioni subditorum eximantur, vt in Gallia, teste CHOPPINO de dom. franc. lib. 3. t. 9. n. 6. p. m. 346. in Sabaudia, narrante FABRO C. lib. 7. tit. 12. Sueci, quibus Nobilium Liuoniae terrae saliuam mouebant, & talem penes ipsos esse praetexere. Igitur ius naturae, quod praescriptionem sive derelictionem praefumtam admittit, est recipiendum. Nam Gallicis principibus adulatur CHASSANAEVS, quando falso statuit, omnem praescriptionem esse contra ius naturae, ad consuet. Burg. fol. 376. n. 7. Plerumque immemorialem hic requirunt praescriptionem, quod specialiter de Regali minore, factis Gerechtigkeit, assertit LYNCKER resp. cit. n. 100. OECKEL c. 3. thes. 25. CARPOV. parte 2. c. 3. def. 24. & 25. Et hoc quoad Imperii subditos, publica lege de ann. 1548. §. wann auch ein Ausgezogener, sanctum esse, VITRIARII Ius publ. lib. III. tit. XIX. f. 3. Add. OECKEL de Praescript. immem. p. 12. Veteratem temporis, quoad praescriptionem immemorialem, dicunt iuris esse gentium, id quod ex primo principio iuris naturalis Thomasiano, Tom. 1. Conringianorum, p. 273. demonstrauit. Adde WERLHOFII Dissert. quam, pro doctrina Groiana, Puteano operposuit, Ill. KRESSII Discept. de hoc argumento, & magnum aliorum autorum numerum, huic doctrinae subscriptentium, collectum ab

autore *Deductionis pro iure venandi regali Luneburgico.* Territoriales quoque Brunsuicenses Constitutiones huic dogmatis calculum adiiciunt, Rec. Prou. Salz-daleensis de an. 1597. §. 38. *Gandersheimensis de an. 1601.* §. 2. *Guelpherbytanus de ann. 1619.* *Resolutio Christiani Ludou. Duc. Brunsä. Luneb. Cell. de ann. 1652.* nobilitati & ordinibus prouincialibus data, vt & Rec. Provinc. Dann-bergicus de an. 1682. De amnis praescriptionis immemorialis calidae inter Iurisconsultos vigenti lites. Aliqui enim ad eam praeceps centum requirunt annos, alii centenaria minorem, alii maiorem esse dicunt. Quasdam inter centenaria & immemorialem differentias enarrat COVARVIAS part. II. relect. de iurisd. prae-script. p. m. 411. n. 6. Mihil perplacet sententia CARPOVII Iurisprud. for. pars I. confit. XVI. defin. LXXIV. praescriptionem immemorialem omnem excludere terminum atque initium memoriae omnium hominum. Adeoque non sufficere, tressis in probanda praescriptione de sua saltu memoria depnere. Sed requiritur, ut afferant, non solum se viduisse, semper ita fieri & nunquam viduisse contrarium actum. Sed etiam a maioribus & senioribus se audiuisse, ita factum fuisse, nec nunquam maiores & seniores alteri audiuisse, atque batus rei publicam esse famam & opinionem apud eos, qui rei cognitionem habent, OECKEL. c. l. thes. II. LYNCKER resp. II. n. 131. 132. 133. p. 26. Intelligentiam autem hoc de memoria traditionis. Praescriptionem immemorialem neque tituli, neque bona fidei probationem requirere, docent FABER Cod. lib. VII. tit. XIII. defin. II. p. m. 826. THESAVRVS defin. XVI. n. 4. p. m. 50. GABRIEL lib. V. conclus. I. n. 41. 44. p. m. 443. COVAR. l. c. Sed si tide dignis adstrutur probationibus, aut titulum vitiosum aut malam fidem adfuisse, immemorialis praescriptionis virtus evanescit. Cum iure canonico inualuerit, mala fidei possessorum nulla temporis praescriptione defendi posse, FABER l. c. vnde GODDAEVS Conf. XVIII. Vol. IV. Morp. n. 52. p. 292. ait, bonum fidem etiam ad praescriptionem immemorialem esse necessarium, cui assentitur GRATIANVS disceptat. forens. t. I. c. II. n. 26. t. 2. dife. 399. n. 27. t. 3. c. 441. n. 6. & seqq. p. m. 90. CARPZ. lib. I. resp. tit. 4. resp. 40. n. 12. 20. VASQVIUS lib. II. controver-siarum illustr. c. 81. n. 10. & II. p. m. 301. Putat tamen, posito titulo illegitimo non sequi praescriptionem mala fidei. Ut verum fatetur, Illustrissimus coc-eatus in iure controverso mihi non videtur a vero aberrare, quando affirmat, doctrinam de mala fide, minus recte ad praescriptionem, quam immemorialem appellant, quadrare. Caeterum huic praescriptioni tantam inesse vim, ut nec tollatur per clausulam, non obstante lapsu temporis, neque aduersus eam detar re-stitutio per Principem, censem. Imo istam antiquitatem temporis idem posse, quam Imperator causam, ICti eloquuntur.

GRAT. t. I. n. 23. p. 4.

F I N I S.

CONSPE-

C O N S P E C T U S  
I P S I V S  
D E I V R E V E N A N D I  
D I S S E R T A T I O N I S.

I. *Venatio plerarumque gentium rectoribus & magnatibus cara*, p. 50. n. c. d. *Singularis in illam amoris exempla pag: 48. sequ. n. b.*

II. *Venationis definitio* p. 50.

*Venatio adulatoria, oppres-  
siva, arenaria, quaenum?* p.  
50. 51. n. b.

*Distinctio iuris venandi a iu-  
re foresti, qualis?* p. 51.  
seqq. n. d.

III. *Venationis variae species  
recensitae, veluti superioris  
& inferioris, ac, quae di-  
cuntur Koppel-lacht, Be-  
stand und Gnaden-lachten,  
Klapper-lachten, Par-For-*

*ce-lachten, earumque ori-  
gines, vna cum genuina indo-  
le, explicatae, p. 53. seqq.*

IV. *Res, ante introducta domi-  
nia, communes fuere*, p. 57.

V. *Qualis & Venatio*, p. 58.

VI. *Quae apud quosdam popu-  
los, e. g. Quirites, etiam post  
introducta dominia, mansit  
communis*, p. 58. *Illi apud  
Romanos genuina ratio*, p.  
58. n. a. *vbi simul quaedam,  
circa illam controversae, leges  
explicantur*, p. 60. n.\*.

VII. *Penes Europae gentes Se-  
ptentrionales & Occidenta-  
les ieffit regibus & nobilibus,  
pag. 61.*

N 2

vbi

*vbi regum simul & nobilium  
conditio antiqua exponitur,  
p. 61. sequ. n. b.*

VIII. *Eadem ratio dein apud  
Germanos etiam obtinuit p.  
63. Qua occasione, de pecu-  
liaribus regum & principum  
buvis gentis siluis patrimoni-  
alibus, & earum pristina in-  
dole agitur, p. 64. sequ. n. a.*

IX. *Proprium venandi ius nobi-  
libus vindicatur, p. 67. sq. &  
simul, de natura ac occasio-  
ne feudorum oblatorum,  
disquiritur p. 68. seq.*

X. *Qua ratione ius venandi Va-  
sallis a principe, vel alio domi-  
no directo, in feudum datum,  
an cumulatue vel priuati-  
ue? p. 70. sq.*

XI. *Reliqui subditi, quare iure  
a venationis vsu arceantur?  
p. 72. seq.*

*Et qua de caessa, Clericis in-  
primis, Venatio interdicta?  
p. 72. sequ. n. a. Huius,  
quae in Germania indoles an-*

*tiqua & hodierna? p. 72. 73.  
ead. not.*

*Quid iuris circa subditos in  
hoc passu, in Gallia? p. 76.  
77. n. c & d. Quinam tandem  
rustici in Germania, singulari  
iuris venandi gaudeant priu-  
legio? p. 77. n. d.*

XII. *De Poenis in eos, qui iure  
venandi destituti, fera anima-  
lia capiunt & occidunt, earum-  
que moralitate, p. 78. sq.*


XIII. *Venatio an servitus p.  
80. sq. n. a. quae per praes-  
criptionem amitti possit? p.  
81. seq. n. b.*

*nec non, an intuitu principum  
ad regalia minora, p. 83. sq.  
n. c.*

*vel domainalia sive referenda?  
p. 86. seq. n. d. subiaceatque  
tunc praescriptioni imme-  
moriali, nec ne? p. 88. seq.  
n. e. vbi, simul generatim, de  
alienatione domainorum  
eorumque praescriptione a-  
gitur, ead. n. p. 88 - 94.*








Ko 1176a 3

N.C.





LIV. #  
**IOAN. GVIL. DE GOEBEL, ICTI**  
 SERENISS. DVC. BRVNSV. LVNEB. A CONSILIIS AVLAE ET  
 IVSTITIAE, CVRIAEC PROVINC. GVELFERBYTANAEC ASSESSORIS  
 IVRIVM IN ACADEMIAE IVLIA PROF. ORDIN. ET  
 FACULT. IVRID. IBIDEM SENIORIS

DE  
**IVRE VENANDI  
 DIATRIBA**

MVLTIS IN PRAESENTI AB IPSO  
 ACCESSIONIBVS AVCTA

PRAEMISSA EST  
 DISQVISITIO PROOEMIALIS  
 DE  
**POENIS IN FERARVM FVRES**  
 ET VNIVERSI APPARATVS VENATORII  
 PER VETERVM GERMANORVM  
 LEGES STATVTIS  
 AVCTORE  
**HENRICO GOTTLIEB FRANCKE**



FRANCOF. ET LIPSIAE  
 IMPENSIS IO. GOTTFRIED STRENGI  
 ANN. CICID CCXLII.